

PROPRIUM DE TEMPORE

TEMPUS QUADRAGESIMÆ
FERIA QUARTA CINERUM

1. Hac die vel alia in Quadragesima, iuxta traditionem Ordinis loco antiqui ritus Psalmorum pænientialium, fieri potest in communi, pro opportunitate, aliqua celebratio pænientialis seu « reconciliatio- nis » — sive sacramentalis sive non sacramentalis — secundum spi- ritum Ordinis pænientiae (nn. 36-37), et normas iuris liturgici.

2. In Missa huius diei benedicuntur et imponuntur cineres, facti de ramis olivarum, sive aliarum arborum, anno præcedenti bene- dictis.

RITUS INITIALES ET LITURGIA VERBI

3. Prior vel celebrans principalis, concelebrantes et ministri in- duunt sacras vestes ad Missæ celebrationem aptas, coloris violacei vel pænientialis. Diaconus vestes sui proprii ordinis sumit.

Missa more solito incipit, sed omittitur actus pænientialis, cuius locum tenet impositio cinerum.

Ant. ad introitum

Sap 11, 24-25. 27

Miseréris ómnium, Dómine, et nihil odísti eórum quæ fecísti,
dissímulans peccáta hóminum propter pæniténtiam
et parcens illis, quia tu es Dóminus Deus noster.

Collecta

Concéde nobis, Dómine, præsídia milítiae cristiánæ □
sanctis inchoáre ieiúniis,
ut, contra spiritáles nequítias pugnatúri,
continéntiae muniámur auxiliis.
Per Dóminum.

AD BENEDICTIONEM CINERUM

4. Post homiliam, celebrans principalis cum ministris, qui deferunt cineres benedicendos, aquam benedictam et librum, ad gradus presbyterii vel ad alium locum aptum se confert. Concelebrantes, fratres, alique fideles usque ad finem benedictionis cinerum stant versis vultibus ad celebrantem principalem.

Ipse autem, manibus iunctis, dicit:

Deum Patrem, fratres caríssimi, suppliciter deprecémur, □
 ut hos cíneres, quos pæniténtiæ causa
 capítibus nostris impónimus,
 ubertáte grátiae suæ benedícere dignétur.

Et, post brevem orationem in silentio, prosequitur:

Deus, qui humiliatióne flécteris et satisfactiÓne placáris,
 aurem tuæ pietátis précibus nostris inclína,
 et super fámulos tuos, horum cínerum aspersione contáctos,
 grátiam tuæ benedictiÓnis ✠ effúnde propítius,
 ut, quadragesimálem observántiam prosequéntes,
 ad Fílii tui paschále mystérium celebrándum
 purificátis méntibus perveníre mereántur.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Vel:

Omnípotens sempitérne Deus,
 qui miseréris ómnium et nihil odísti eórum quæ fecísti,
 dissimulans peccáta hóminum propter pæniténtiam,
 qui étiam súbvenis in necessitáte laborántibus,
 benedícere ✠ et sanctificáre dignáre hos cíneres,
 quos causa humilitátis et sanctæ religiÓnis,
 ad emundánda nostra delícta
 super cápita nostra ferre constituísti more Ninivitárum
 et da, per invocatiÓnem tui nóminis, ut omnes
 qui eos ad deprecándam misericórdiam tuam

super sua cápita túlerint
 a te mereántur ómnium delictórum suórum véniam accípere
 et hódie sic ieiúnia inchoáre sancta
 ut in die Resurrectiónis purificátis méntibus
 ad sanctum mereántur accédere Pascha,
 et in futúro perpétuam accípere glóriam.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

Finita benedictione cinerum, celebrans principalis aspergit eos aqua benedicta.

AD IMPOSITIONEM CINERUM

5. Tunc celebrans principalis, ab illo cui competit, sive con-celebrans sit sive diaconus, cineres recipit, postea ipse eos imponit concelebrantibus, ministris, fratribus qui ad ipsum quasi processionaliter accedunt eo ordine quo sunt in choro, aliisque fidelibus qui prodeunt.

Si opportunum videtur, qui cineres recipit genua flectere potest vel alium gestum aptum agere. Singulis sacerdos dicit:

Meménto quia cinis es, et in cínerem revertéris. Cf. Gen 3, 19

Vel:

Pænitémini, et créдите Evangélio. Mc 1, 15

Ubi mos est, unus ex concelebrantibus, vel hebdomadarius, aqua benedicta aspergit illum qui cineres recepit.

Si casus fert, alii presbyteri celebrantem principalem adiuuare possunt in cineribus imponendis illis qui accedunt.

6. Dum cineres imponuntur, cantatur unus ex cantibus qui sequuntur vel alius cantus aptus:

Antiphona Ps 68, 17

**Exáudi nos, Dómine,
 quóniam benígna est misericórdia tua:
 secúndum multitudínem miseratiónum tuárum
 réspice nos, Dómine.**

Hæc antiphona post aliquot versus (2. 3a. 3b. 4) psalmi 68. quot-quot sunt necessarii, canitur. Et repetitur antiphona **Exáudi nos,**

Dómine, post quemlibet versum. Post ultimum autem versum, qui dicendus est, dicitur Glória Patri et repetitur iterum antiphona prædicta.

Postea:

Antiphona Ioel 2, 17; Est 4, 17 1

Inter vestibulum et altáre plorábunt sacerdótes
et levítæ, ministri Dómini, et dicent:
Parce, Dómine, parce pópulo tuo
et ne claudas ora clamántium ad te, Dómine.

Antiphona Cf. Ioel 2, 13; Ps 94, 6

Immutémur hábitu, in cínere et cilício,
ieiunémus et plorémus ante Dóminum,
quia multum miséricors est dimíttre peccáta nostra,
Deus noster.

Vel responsorium Emendémus in mélius (MR. 180; GR, 66), vel etiam alius cantus aptus.

7. Impositione cinerum peracta, celebrans principalis et presbyteri qui eum adiuverunt, lavant manus; ritus autem concluditur oratione universali, seu oratione fidelium.

Non dicitur Credo.

LITURGIA EUCHARISTICA

8. Super oblata

Sacrificium quadragesimális iníitii sollémniter immolámus, □
te, Dómine, deprecántes,
ut per pæniténtiæ caritátisque labóres
a nóxiis voluptátibus temperémus,
et, a peccátis mundáti,
ad celebrándam Fílii tui passiónem
mereámur esse devóti.
Per Christum.

9. Præfatio: De fructibus abstinentiæ.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui nos per abstinentiam tibi grátias reférre voluísti,
ut ipsa et nos peccatóres ab insoléntia mitigáret,
et, egéntium proficiens aliménto,
imitatóres tuæ benignitátis effíceret.

Et ídeo, cum innúmeris Angelis,
una te magnificámus, laudis voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Vel præfatio IV de Quadragesima (MR, p. 402).

10. Ant. ad communionem

Ps 1, 2-3

Qui meditábitur in lege Dómini die ac nocte,
dabit fructum suum in témpore suo.

11. Post communionem

Percépta nobis, Dómine, præbeant sacraménta subsídium, □
ut tibi grata sint nostra ieiúnia,
et nobis proficiant ad medélam.
Per Christum.

12. In fine celebrationis Missæ, præsertim hac die vel etiam aliis feriis Quadragesimæ, celebrans principalis dicere potest unam ex orationibus super populum a Missali Romano præbitis (pp. 507-511).

Oratio super populum et benedictio

Diaconus vel, eo deficiente, unus ex concelebrantibus vel celebrans ipse principalis dicere potest ut infra, vel aliis verbis, invitatorium:

Humiliáte cápita vestra Deo.

Vel:

Inclináte vos ad benedictiónem.

Chorus et fideles se inclinant. Celebrans ipse principalis deinde, manibus super populum extensis, dicit cum conclusione brevi orationem.

**Pópulum tuum, Dómine, quæsumus,
ad te toto corde convérte,
quia, quos deféndis étiam delinquéntes,
maióre pietáte tuéris sincéra mente devótos.
Per Christum.**

Post orationem, formulam benedictionis subdit:

**Benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.**

R. Amen.

13. Benedictio et impositio cinerum fieri possunt etiam extra Missam, sive ut indicat Missale Romanum (p. 180) sive — in celebrationibus quæ fratres aliosque fideles congregant — coniunctæ cum Hora media vel cum Officio lectionis Liturgiæ Horarum, præmittendo aptam liturgiam verbi et congruam homiliam.

HEBDOMADA SANCTA

DOMINICA IN PALMIS DE PASSIONE DOMINI

1. Hac die Ecclesia recolit ingressum Christi Domini in Ierusalem ad consummandum suum paschale mysterium. Quare in omnibus Missis memoria fit huiusmodi ingressus Domini, et quidem per processionem vel introitum sollemnem ante Missam conventualem, per introitum simplicem ante alias Missas. Introitus tamen sollemnis, non vero processio, iterari potest ante unam alteramve Missam, quæ cum magno populi concursu celebrari solet.

COMMEMORATIO INGRESSUS DOMINI IN IERUSALEM

Forma prima: Processio

2. Hora competenti fratres aliique fideles in locum aptum extra ecclesiam vel, iuxta opportunitatem, in capitulum vel in claustrum conveniunt. Rami distribuuntur vel hoc ipso tempore quo omnes congregantur vel statim post benedictionem ante proclamationem Evangelii.

3. Prior vel celebrans principalis, concelebrantes et ministri, sacris vestibus pro Missa requisitis, coloris rubri vel indumentis sericis induti, accedunt ad locum ubi fratres et fideles congregati sunt. Pro casula celebrans principalis sumere potest cappam sericam vel pluviale quod, expleta processione, deponit.

4. Interim cantatur sequens antiphona vel alius cantus congruus.

Antiphona

Cf. Mt 21, 9

Hosánna Fílio David:

benedíctus qui venit in nómine Dómini,

Rex Israel: Hosánna in excélsis.

Vel: Cf. Io 12, 12. 13

Turba multa, quæ convenerat ad diem festum,
clamabat Dómino:

« **Benedíctus qui venit in nómine Dómini:
Hosánna in excélsis** ».

Vel:

Cum ángelis et púeris fidéles inveniámur,
triumphatóri mortis clamántes: « **Hosánna in excélsis** ».

AD BENEDICTIONEM PALMARUM

5. Tunc celebrans principalis conventum et populum de more salutat; ac deinde ipse vel diaconus vel unus e concelebrantibus facit monitionem, qua fratres et alii fideles ad celebrationem huius diei actuose et conscie participandam invitantur.

Si adhibetur prima oratio in n. 6 notata, quæ manifestius evocat hodiernum mysterium liturgicum, brevis fit monitio.

Ad monitionem, hæc vel similia verba adhiberi poterunt:

Fratres caríssimi, □
postquam iam ab inítio **Quadragésimæ**
corda nostra pæniténtia et opéribus caritátis præparávimus,
hodiérna die congregámur,
ut cum tota Ecclésia
præludámus paschále Dómini nostri mystérium,
eius nempe passiónem atque resurrectiónem,
ad quod impléndum
ipse ingressus est civitátem suam Ierúsalem.
Quare cum omni fide et devotióne
memóriam agéntes huius salutíferi ingressus,
sequámur Dóminum,
ut, per grátiam consórtes effécti crucis,
partem habeámus resurrectiónis et vitæ.

Vel:

Fratres caríssimi,
inítio huius maióris Hebdómadæ congregáti,

ingréssum in Ierúsalem recólimus Salvatóris nostri,
Regis mansuéti et húmilis:
ut in córdibus nostris advéniat
et beatíssima ipsíus Passióne nos réparet,
sincéro corde peccatórum nostrórum confessiónem
atque firmam in eo confidéntiam offerámus.
Ipsum ergo rogémus, ut has palmas deferéntes
illi óbviám cum palmis victóriæ, in secúndo advéntu,
læti mereámur occurrere
eiúsque nunc amóris in mundo testes esse valeámus.

6. Post monitionem, celebrans principalis, manibus iunctis, dicit
unam ex sequentibus orationibus: [* *]

Orémus.

Omnípotens sempitérne Redémptor,
qui de cælis ad terram descéndere
et ad passiónem voluntátis tuæ veníre dignátus es,
ut humánum genus tuo pretióso sáanguine liberáres,
adésto piis Ecclésiæ tuæ votis et supplicatióibus nostris.

Tu enim, Dómine, mansuétus mansuéti animális
asélli tergo ínsidens,
ad passiónem redemptionis nostræ spontáneus advenísti;
cum tibi ramis arbóreis,
occurréntibus discipulórum turbis,
certátim sternerétur via,
et triumphatricibus palmis cum voce laudis
occurrerent plúrimæ populórum catérvæ,
exultántes páriter et dicéntes:
Hosánna Fílio David;
benedíctus qui venit in nómine Dómini,
tibi in monte Olivéti
ramis de arbóribus via constráta est.

Tu quondam Noe in arca super undas dilúvii gubernásti,
et colúmbæ ministério per olívæ ramum
pacem terris rédditam nuntiáre voluísti.

Sed et Iacob patriárcha
in mystérium glóriæ tuæ érigens lápidem
ex huius árboris ramis óleum benedictiónis
in cacúmине títuli infúdit,
unde unxísti reges et prophétas tuos.

Tu enim es Christus Dei,
tibi cómpetit fructus unctiónis et pacis,
in cuius ineffábilem laudem psalmísta cécinit, dicens:
Unxit te Deus, Deus tuus, óleo lætítiæ et exsultatiónis
præ participibus tuis.

Quaprópter te, Dómine, súpplíces deprecámur,
ut benedícas ☩ hos árborum ramos,
quos tui fámuli suis suscipiéntes mánibus,
in occúrsum tui properáre
teque benedícere et glorificáre desíderant.

Ecce Ierúsalem, sedens super ásinum,
Rex mansuétus advenísti;
ádveni ergo, rogámus, et nobis, et in médio nostri consíste;
ut te adveníre in nostris córdibus sentiámus,
et qui nos tunc reparásti per crucem,
íterum lapsos répara per eándem beatíssimam passióem.

Oris nostri confessiónem
ac ieiúnii humiliatióem libens súscipe,
et fructum nos viriditátis habére concéde;
quátenuis tuis ímbribus irrigáti,
mereámur tibi suávium frúctuum ubertáte placére.
Et sicut illi processérunt óbviám tibi
cum arbóreis fróndibus egréssi,
ita nos, te redeúnte in secúndo advéntu

cum palmis victóriæ læti mereámur occurrere,
Salvátor mundi, qui cum Patre in unitáte Spíritus Sancti
vivis et regnas Deus, per ómnia sæcula sæculórum.

R. Amen.

Vel:

Orémus.

Auge fidem in te sperántium, Deus, □
et súpplicum preces cleménter exáudi,
ut, qui hódie Christo triumphánte pálmities exhibémus,
in ipso fructus tibi bonórum óperum afferámus.
Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

R. Amen.

Benedictione finita, celebrans principalis ramos ante se collocatos aqua benedicta aspergit, vel aspergendo transit per cœtum, si fideles, ut dictum est, ramos iam in manibus teneant.

7. Tunc rami, nisi iam fideles in manibus eos habeant, distribuuntur. Postquam celebrans principalis ramum acceperit, cantor incipit antiphonam **Omnes colláudant** vel alium cantum aptum quem omnes prosequuntur tempore congruo.

Sacrista vero vel alius minister ramos distribuit concelebrantibus, fratribus et aliis fidelibus qui ramos in manibus nondum habeant.

Antiphona

Omnes colláudant nomen tuum, et dicunt:
« Benedíctus qui venit in nómine Dómini;
Hosánna in excélsis ».

Hæc antiphona post psalmum 147 vel post binos versus eiusdem psalmi repeti potest.

Psalmus 147

Lauda, Ierúsalem, Dóminum:
Lauda Deum tuum, Sion.

AD PROCLAMATIONEM EVANGELII

8. Deinde proclamatur Evangelium de ingressu Domini secundum unum ex quattuor Evangeliiis. Legitur autem a diacono, vel, ipso deficiente, a concelebante vel sacerdote, more solito, ut in Missali Romano (pp. 225-229).

9. Post Evangelium, pro opportunitate, haberi potest brevis homilia. Deinde incipit processio ad ecclesiam, ubi celebratur Missa.

AD PROCESSIONEM

10. Celebrans principalis accipit, nisi iam habeat, ramum sibi præparatum ac postea diaconus, vel, ipso deficiente, unus ex concelebrantibus vel celebrans ipse principalis, processionem incipere potest, his vel similibus verbis:

**Sicut turba in occûrsum Dómini,
illum acclamémus atque lætánter óbviám ei procedámus.**

Vel:

**Sicut turba cum arbóreis fróndibus egréssa,
in occûrsum Dómini lætánter procedámus
secúndum eius advéntum exspectántes.**

11. Præcedit, ubi est mos, frater cum aqua benedicta, qua procedendo aspergit, post eum — si adhibetur thus — thuriferarius cum thuribulo fumigante, deinde cruciferarius cum cruce denudata (in fine ad altare maius collocanda), medius inter duos ministros cum candelis accensis; postea reliqui fratres, concelebantes et celebrans principalis cum diacono, post eos sequuntur alii fideles, ramos benedictos manibus gestantes.

12. Progrediente processione, cantantur a choro et populo antiphonæ, hymni sequentes vel alii mysterio diei adaptati, præsertim Glória, laus et honor et antiphona Ave, Rex noster vel alii cantus acclamationis apti.

Antiphona

cf. Mt 21, 15. 8-9

**Púeri Hebræórum, tolléntes ramos olivárum,
obviavérunt Dómino, clamántes et dicéntes:**

« Hosánna in excélsis ».

Quæ pro opportunitate repetitur inter versus psalmi 23.

Antiphona

Cf. Mt 21, 15. 8-9

Púeri Hebræórum vestiménta prosternébant in via,
et clamábant dicétes: « Hosánna Fílio David;
benedíctus qui venit in nómine Dómini! ».

Quæ pro opportunitate repetitur in ter versus psalmi 46.

Aliæ antiphonæ

Occurrunt turbæ cum flóribus et palmis
Redemptóris óbviam,
et victóri triumphánti digna dant obséquia.
Fílium Dei ore gentes prædicant,
et in laudem Christi voces tonant per núbila: « Hosánna ».

Vel:

Cœpérunt omnes turbæ descendéntium
gaudétes laudáre Deum voce magna
super ómnibus quas víderant virtútibus, dicétes:
« Benedíctus, qui venit Rex in nómine Dómini;
pax in cælo, et glória in excélsis ».

Vel:

Fulgéntibus palmis prostérnimur adveniénti Dómino:
huic omnes occurrámus cum hymnis et cánticis,
glorificátes et dicétes:
« Benedíctus Dóminus ».

Hymnus ad Christum Regem

Populus, si fieri potest, post unumquemque versum hymni, versum Glória, laus cum choro repetit.

Cantores:

Glória, laus et honor tibi sit, Rex Christe, Redemptor,
cui pueríle decus prompsit Hosánna pium.

Omnes: Glória, laus ut supra.

Cantores:

∮. Israel es tu Rex, Dávidis et ínclita proles,
nómine qui in Dómini, Rex benedícte, venis.

Omnes: Glória, laus ut supra.

Cantores:

∮. Coetus in excélsis te laudat cáelicus omnis,
et mortális homo et cuncta creáta simul.

Omnes: Glória, laus ut supra.

Cantores:

∮. Plebs Hebræa tibi cum palmis óbvia venit;
cum prece, voto, hymnis ádsumus ecce tibi.

Omnes: Glória, laus ut supra.

AD INGRESSUM ECCLESIAE

13. Antiphona, **Ave, Rex noster**, si fieri potest, cantatur ante ostium apertum ecclesiae vel forte ante introitum chori et statio fit ad Crucem.

Cruciferarius et ceroferrarii stantes, vultum vertunt ad conventum et populum. Omnibus genua flectentibus, cantores incipiunt antiphonam **Ave, Rex noster** vel alium cantum acclamationis aptum, quem omnes prosequuntur ad finem.

Antiphona

Ave, Rex noster, Fili David, Redemptor mundi,
quem prophetae praedixerunt

Salvátorem dómui Israel esse ventúrum.

Te enim ad salutárem víctimam Pater misit in mundum,
quem exspectábant omnes sancti ab origine mundi.

Et nunc: « Hosánna Fílio David:

Benedíctus qui venit in nómine Dómini.

Hosánna in excélsis ».

14. Antiphona praedicta finita, cantoribus incipientibus responsum **Ingrediénte** vel alium cantum de ingressu Domini, ut cantum ad introitum Missae, processio ecclesiam ingreditur et omnes responsum prosequuntur.

Responsorium

R. **Ingrédiente Dómino in sanctam civitátem, Hebræórum púeri, resurrectionem vitæ pronuntiántes, * Cum ramis palmárum: « Hosánna, clamábant, in excélsis ».**

V. **Cum audísset pópulus, quod Iesus veníret Hierosólymam, exiérunt óbviám ei. * Cum ramis.**

15. Cruciferarius, si crucem altaris in processione detulerit, eam statim suo loco reponit. Fratres ad chorum advenientes ramos deponere possunt ad gradus presbyterii vel ad crucem vel alio loco apto, postea unusquisque ad sedem suam graditur.

Concelebrantes, ramis similiter depositis, altare venerantur et ad sedes suas pergunt. Celebrans principalis, cum ad altare pervenerit, illud veneratur et, pro opportunitate, incensat. Deinde pergit ad sedem ubi, deposita cappa serica, si illam adhibuit in processione, et assumpta casula rubra, omissis aliis, ad complendam processionem dicit collectam Missæ, quæ deinde prosequitur more solito.

Forma secunda: Introitus sollemnis

16. Ubi processio extra ecclesiam vel per claustrum fieri nequit, ingressus Domini celebratur intra ecclesiam ad modum introitus sollemnioris ante Missam conventualem.

17. Fratres et alii fideles congregantur vel ante portam ecclesiæ vel in ipsa ecclesia, ramos in manibus tenentes. Celebrans principalis, concelebrantes et ministri et aliqua deputatio astantium fratrum fideliumque accedunt ad locum aptum ecclesiæ, extra presbyterium, ubi saltem maior pars assistentium ritum conspiciere possit.

18. Dum celebrans principalis et alii ad locum dictum accedunt, cantatur antiphona **Hosánna Fílio David**, vel **Turba multa** (n. 4) vel alius cantus aptus. Deinde celebrans principalis, post salutationem et monitionem, benedicit ramos, ut supra nn. 5-6; et fit proclamatio Evangelii ingressus Domini in Ierusalem (nn. 8-9).

Post Evangelium celebrans principalis procedit sollemniter cum concelebrantibus et ministris et deputatione fidelium per ecclesiam ad presbyterium, eodem ordine qui ad n. 11 describitur, dum cantatur antiphona vel cantus aptus (n. 12). Si facile peragi potest, statio Crucis fiat cum cantu ant. **Ave, Rex noster** (n. 13), in medio ecclesiæ vel

ante chorum, postea ad altare proceditur cantando responsorium **Ingrédiēte Dómino** (n. 14) ut cantum ad introitum, vel alium cantum aptum.

19. Cum autem ad altare pervenerint, concelebantes et celebrans principalis illud venerantur (n. 15). Deinde pergunt ad sedem, et, omisis aliis, celebrans principalis dicit collectam Missæ, quæ deinde prosequitur more solito.

Forma tertia: Introitus simplex

20. In omnibus aliis Missis huius dominicæ in quibus non habetur introitus sollemnis, fit memoria ingressus Domini in Ierusalem per introitum simplicem.

21. Dum sacerdos pergit ad altare, cantatur antiphona ad introitum cum psalmo (n. 22) vel alius cantus de eodem themate. Sacerdos, postquam ad altare pervenerit, illud veneratur et pergit ad sedem et salutatur populum; deinde Missam prosequitur more solito.

In Missis sine populo et in aliis Missis, in quibus fieri non potest cantus ad introitum, sacerdos, statim ac ad altare pervenerit et illud fuerit veneratus, salutatur populum, legit antiphonam ad introitum et Missam prosequitur more solito.

22. Antiphona ad introitum

Ante sex dies sollémnis Paschæ, quando venit Dóminus in civitatem Ierúsalem, occurrerunt ei púeri: et in mánibus portábant ramos palmárum et clamábant voce magna, dicentes: * Hosánna in excélsis: **Benedíctus qui venísti in multítudine misericórdiæ tuæ.**

Ps 23, 9-10: Attóllite, portæ, cápita vestra,
et elevámini, portæ æternáles,
et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ?

Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

* Hosánna in excélsis: **Benedíctus qui venísti in multítudine misericórdiæ tuæ.**

AD MISSAM

23. Post processionem vel introitum sollemnem celebrans principalis Missam incipit a collecta.

24. Collecta

Omnípotens sempitérne Deus, □
qui humano géneri, ad imitandum humilitátis exéplum,
Salvatórem nostrum carnem sumere,
et crucem subire fecisti,
concede propítius,
ut et paciéntiæ ipsíus habere documénta
et resurrectionis consórtia mereámur.
Per Dóminum.

25. Historia Passionis Domini legitur absque luminaribus et absque incenso, sine salutatione et signatione libri. Legitur autem a diacono vel, ipso deficiente, a concelebante vel ab ipso celebrante principali. Legi potest etiam a lectoribus parte Christi, si fieri potest, diacono vel sacerdoti reservata.

Diaconi, non autem alii, ante cantum Passionis, petunt benedictionem celebrantis principalis, ut alias ante Evangelium.

Ad verba: emísit spíritum, genuflectunt vel prosternunt se omnes et orant aliquantulum in silentio.

26. Post historiam Passionis habeatur, pro opportunitate, brevis homilia.

Dicitur Credo.

27. Super oblata

Per Unigéniti tui passiónem □
placátio tua nobis, Dómine, sit propínqua,
quam, etsi nostris opéribus non merémur,
interveniente sacrificio singulári,
tua percipiámus miseratióne prævénti.
Per Christum.

28. Præfatio: Mors Christi delicta nostra detersit.

Ÿ. Dóminus vobíscum.

℞. Et cum spírítu tuo.

Ÿ. Sursum corda.

℞. Habémus ad Dóminum.

Ÿ. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

℞. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre, □
 nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
 Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
 per Christum Dóminum nostrum.

Qui pati pro ímpiis dignátus est ínnocens,
 et pro scelerátis indébite condemnári.

Cuius mors delícta nostra detérsit,
 et iustificatióem nobis resurréctio comparávit.

Unde et nos cum ómnibus Angelis te laudámus,
 iucúnda celebratióne clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth, ...

29. Ant. ad communionem

Mt 26, 42

Pater, si non potest hic calix transíre, nisi bibam illum,
 fiat volúntas tua.

30. Post communionem

Sacro múnere satiáti, súpplíces te, Dómine, deprecámur, □
 ut, qui fecísti nos morte Fílii tui speráre quod crédimus,
 fácias nos, eódem resurgénte, perveníre quo téndimus.
 Per Christum.

31. Ubi nec processio nec introitus sollemnis fieri potest, ha-
 beatur sacra verbi Dei celebratio de ingressu messianico et de Pas-
 sione Domini vel sabbato horis vespertinis vel die dominica, hora
 opportuniore.

Feria V Hebdomadæ Sanctæ

LITURGIA PÆNITENTIALIS

Hodie, vel alia die hebdomadæ, iuxta traditionem Ordinis, loco antiqui ritus Psalmorum pænientialium, fieri potest in communi, pro opportunitate, aliqua celebratio pænientialis seu «reconciliationis» — sive sacramentalis sive non sacramentalis — secundum spiritum Ordinis pænientiae (nn. 36-37), et normas iuris liturgici.

SOLLICITUDO DE INFIRMIS

His diebus optandum est ut fratres et sorores infirmi, præsertim in nosocomio degentes, adiuventur ad sensum percipiendum infirmitatis quæ in communionem cum mysterio paschali Christi vivitur. Quare celebrationibus liturgicis communitatis infirmi consocientur vel participes reddantur.

Ideo, præ oculis habitis variis diversisque adiunctis, omnia ita disponantur, ut, modo aptiore illis possibilitas detur communionem recipiendi, libenter adhibitis variis facultatibus in Rituali positis.

Etenim sollicitudo nostra, quæ per fraternum auxilium et orationem manifestatur, optime testimonium mundo præbet de mutuis vinculis quibus per Evangelium coniungimur, de fide nostra in Deum et de potentia resurrectionis Filii eius.

RITUS MANDATI

Ritus Mandati a fratribus celebrari potest extra Missam in capitulo vel claustro vel alio loco apto.

Omnes vero communitates rationem magis idoneam inveniant ad symbolice exprimendum hunc gestum qui propositum significat ad fratrum servitium se tradendi in sequela Christi. Celebratio præterea sensum quoque reconciliationis in hoc ritu contentæ apte exprimere potest.

Dum Mandatum agitur, Evangelium legi potest (Io 13, 1-17; vel aliqua excerpta ex Io 13 - 17) et cantantur aliqui ex cantibus ad Mandatum consuetis ut in Officio Hebdomadæ Sanctæ O.P. (pp. 91-98), vel alii cantus apti.

SACRUM TRIDUUM PASCHALE

Ad Missam Vespertinam in Cena Domini

Iuxta antiquissimam Ecclesiæ traditionem, hac die omnes Missæ sine populo interdicuntur. Fratres concelebrent Missam conventualem in qua omnes ad Eucharistiam communicandam invitantur.

Horis vespertinis, tempore magis opportuno, celebratur Missa in Cena Domini, cum plena participatione totius communitatis, omnibus sacerdotibus et ministris officium suum implentibus.

Sacerdotes qui in Missa chrismatis aut ad utilitatem fidelium iam celebraverint, denuo concelebrent in Missa vespertina.

Ubi vero ratio pastoralis id postulet, Ordinarius loci alteram Missam in ecclesiis et oratoriis vel sacellis privatis permittere poterit, horis vespertinis celebrandam, et, in casu veræ necessitatis, etiam horis matutinis, sed tantummodo pro fidelibus qui nullo modo Missam vespertinam participare valent. Caveatur tamen ne huiusmodi celebrationes in bonum privatorum fiant et ne præiudicio sint Missæ vespertinæ principali.

Sacra communio fidelibus distribui potest tantummodo infra Missam; infirmis vero deferri potest quacumque diei hora.

RITUS INITIALES ET LITURGIA VERBI

1. Ante Missam omnia altaria, præter maius, deteguntur. Tabernaculum, si quod exstat in altari maiore, omnino vacuum sit; pro communicandis vero fratribus et aliis fidelibus hodie et crastina die sufficiens copia panis consecratur in eadem Missa.

2. Hora competenti prior vel celebrans principalis, concelebrentes et ministri induunt sacras vestes pro Missa requisitas, coloris albi, vel indumenta serica.

Ingressus in ecclesiam atque liturgia verbi peraguntur uti moris est in Missali Romano. Ad libitum, conventus cum concelebrantibus processionem ingressus participat, cantum ad introitum peragens.

3. Ant. ad introitum

Cf. Gal 6, 14

Nos autem gloriári opórtet
in cruce Dómini nostri Iesu Christi,
in quo est salus, vita et resurréctio nostra,
per quem salváti et liberáti sumus.

4. Dum cantatur hymnus Glória in excélsis, pulsantur campanæ, eoque expleto, silent usque ad Vigiliam paschalem, nisi Conferentia episcopalis vel Ordinarius, pro opportunitate, aliud statuerit.

5. Collecta

Sacratíssimam, Deus, frequentántibus Cenam, □
in qua Unigénitus tuus, morti se traditúrus,
novum in sácula sacrificium
dilectionísque suæ convívium Ecclésiæ commendávit,
da nobis, quæsumus,
ut ex tanto mystério
plenitúdinem caritátis hauriámus et vitæ.
Per Dóminum.

6. Ad Missam Evangelium Io 13, 1-15 legi debet, si populus adest et ritui Mandati non affuit. Quando autem ritus Mandati extra Missam fit, tali modo ut lectio Evangelii Io 13, 1-15 iam præcesserit, alterum Evangelium in Missa legi potest, nempe Mt 26, 17-29 cum versu acclamationis ut in Lectionario Romano.

LOTIO PEDUM

7. Post homiliam proceditur ad lotionem pedum nisi ritus Mandati extra Missam peragi statutum sit (p. 21).

Ordinatur hic ritus iuxta indicationes Missalis Romani et consuetudines loci. Inter lavandum cantantur aliqui ex cantibus ad Mandatum consuetis vel alii apti, ut in Officio Hebdomadæ Sanctæ O.P. (pp. 91-98).

Si magis optandum videtur, ad lotionem pedum procedi potest statim post proclamationem Evangelii; homilia tum sequitur ad patefaciendum sensum symbolicum huius gestus necnon ad illustranda mysteria potissima quæ hac die recoluntur.

8. Statim post lotionem pedum, vel, si hæc non fit infra Missam, post homiliam, fit oratio universalis. Symbolum in hac Missa non dicitur.

LITURGIA EUCHARISTICA

9. Incipiente liturgia eucharistica, conventus participare potest processionem fidelium cum donis pro pauperibus, a Missali Romano suggestam. Interim cantatur Ubi caritas, vel alius cantus aptus.

10. Oratio super oblata.

Concéde nobis, quæsumus, Dómine, □
 hæc digne frequentare mystéria,
 quia, quóties huius hóstiæ commemorátio celebrátur,
 opus nostræ redemptiónis exercétur.
 Per Christum.

11. Præfatio de SS.ma Eucharistia

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre, □
 nos tibi semper et ubique grátias ágere:
 Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
 per Christum Dóminum nostrum.

Qui, verus æternúsque Sacérdos,
 formam sacrificii perénnis instítuens,
 hóstiam tibi se primus óbtulit salutárem,
 et nos, in sui memóriam, præcépit offerre.
 Cuius carnem pro nobis immolátam
 dum súmimus, roborámur,
 et fusum pro nobis sánguinem dum potámus, ablúimur.

Et ideo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominationibus,
cumque omni milítia cælestis exercitus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus,
sine fine dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

12. Quando adhibetur Canon Romanus, dicuntur **Communicántes**,
Hanc igitur et Qui pridie propria.

Communicántes,
et diem sacratíssimum celebrántes,
quo Dóminus noster Iesus Christus
pro nobis est tráditus,
sed et memóriam venerántes,
in primis gloriósæ semper Vírginis Maríæ,
Genetrícis eiúsdem Dei et Dómini nostri Iesu Christi:
sed et beáti Ioseph, eiúsdem Vírginis Sponsi,
et beatorum Apostolorum ac Mártyrum tuorum,
Petri et Pauli, Andréæ,
(Iacóbi, Ioánnis,
Thomæ, Iacóbi, Philíppi,
Bartholomæi, Matthæi,
Simónis et Thaddæi:
Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti,
Cornélii, Cypriáni,
Lauréntii, Chrysógoni,
Ioánnis et Pauli,
Cosmæ et Damiáni)
et ómnium Sanctórum tuorum;
quorum méritis precibúsq; concédas,
ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxilio.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Manibus extensis, prosequitur:

Hanc igitur oblationem servitutis nostræ,
sed et cunctæ familiæ tuæ,
quam tibi offerimus ob diem,
in qua Dóminus noster Iesus Christus
trádidit discipulis suis
Córporis et Sánguini sui mystéria celebránda,
quæsumus, Dómine, ut placátus accípias:
diésque nostros in tua pace dispónas,
atque ab ætérna damnatióne nos éripi
et in electórum tuórum iúbeas grege numerári.

Iungit manus.

(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Quam oblationem tu, Deus, in ómnibus, quæsumus,
benedíctam, adscríptam, ratam,
rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris:
ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectíssimi Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

Qui, prídie quam pro nostra omniúmque salúte paterétur,
hoc est hódie,

Accipit panem, eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas,

Elevat oculos,

et elevátis óculis in cælum
ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,
tibi grátias agens benedíxit,
fregit,

dedítque discipulis suis, dicens:

parum se inclinat.

**ACCÍPITE ET MANDUCÁTE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADÉTUR.**

Reliqua ut in Canone Romano (n. 52, infra p. 98).

13. Ant. ad communionem 1 Cor 11, 24. 25

**Hoc Corpus, quod pro vobis tradétur;
hic calix novi testaménti est in meo Sáanguine,
dicit Dóminus;
hoc fácite, quotiescúmque súmitis,
in meam commemoratióem.**

In cantu ad communionem vel in hymno post communionem adhiberi possunt aliqua verba Dominici sermonis.

14. Distributione communionis peracta, pyxis cum particulis pro communionem diei sequentis relinquitur super altare. Missa concluditur oratione post communionem.

15. Post communionem

**Concéde nobis, omnípotens Deus,
ut sicut Cena Fílii tui refícimur temporáli,
ita satiári mereámur æténa.
Per Christum.**

□

TRANSLATIO SS.MI SACRAMENTI

16. Oratione dicta, celebrans principalis stans ante altare imponit incensum in thuribulo et genuflexus ter incensat Ss.mum Sacramentum. Deinde, assumpto velo umerali, accipit pyxidem et velo cooperit. Interim in choro omnes genuflectunt et accenduntur candelæ.

17. Instruitur processio qua, præcedente cruciferario, quem ministri cum cereis accensis comitantur, sequentibus fratribus cum candelis, concelebrantibus, thuriferario a latere continue incensante Corpus Domini, celebrans principalis, cui assistit diaconus, defert Sacramen-

tum, fidelibus pro opportunitate candelas gestantibus, per ecclesiam ad locum repositionis, paratum in aliquo sacello convenienter ornato. Interim cantatur hymnus **Pange, lingua** (exclusis duabus ultimis strophis), vel alius cantus eucharisticus, iuxta locorum consuetudines.

18. Cum processio pervenerit ad locum repositionis, celebrans principalis deponit pyxidem et, thure imposito, genuflexus incensat, dum cantatur **Tantum ergo sacramentum**. Deinde clauditur tabernaculum seu capsula repositionis.

19. Post aliquod tempus adorationis in silentio, celebrans principalis et ministri, facta genuflexione, revertuntur in sacristiam.

Expleta celebratione huius diei, tempore opportuno, altare maius denudatur et, si fieri potest, auferuntur cruces ab ecclesia. Expedit autem ut cruces, quæ forte in ecclesia remanent, velentur. Removenda est a vasis ecclesiæ aqua benedicta.

Vesperæ ab iis, qui Missæ vespertinæ interfuerunt, non dicuntur.

Hodie et cras post Completorium benedictio non datur, omittitur ant. **Salve, Regina**, nec aspergitur aqua benedicta.

Excerpta Dominici sermonis legi possunt ad cenam, lingua vernacula, vel, ut ultima diei celebratio in communi peracta, coram Ss.mo Sacramento.

Fratres et alii fideles per congruum noctis tempus, secundum locorum et rerum adiuncta, adorationem peragant coram Ss.mo Sacramento asservato, ita tamen ut post mediam noctem hæc adoratio absque sollemnitate fiat.

FERIA VI IN PASSIONE DOMINI

Celebratio Passionis Domini

Hac Parasceve (Mt 27, 62) die, celebratio Passionis Domini peragitur ut in Missali Romano notatur. Tamen pro adoratione Crucis, præter duas formas in illo prævisas (nn. 14-20), adhiberi potest ritus Ordinis nostri peculiaris.

Oportet igitur ut hæ tres possibilitates usurpentur modo magis apto quoad communitatem ceterosque fideles qui celebrationi intersunt.

1. Hac et sequenti die, Ecclesia, ex antiquissima traditione, sacramenta penitus non celebrat.

2. Horis postmeridianis huius feriæ, et quidem circa horam tertiam, nisi ex ratione pastoralis tardior hora seligatur, fit celebratio Passionis Domini, constans ex tribus partibus, nempe ex liturgia verbi, adoratione Crucis et sacra communione.

Hac die sacra communio fidelibus distribuitur unice inter celebrationem Passionis Domini; infirmis autem, qui hanc celebrationem participare nequeunt, quacumque diei hora deferri potest.

3. Altare omnino nudum sit, sine cruce, sine candelabris, sine tobaleis. Pro celebratione Passionis Domini, sacerdos qui celebrationi præsidet et ministri induunt vestes sicut ad Missam, vel indumenta serica, rubri coloris. Diaconus vestes sui proprii ordinis induit.

4. Prior vel sacerdos qui celebrationi præsidet, diaconus et alii ministri ad altare accedunt et, facta reverentia, in faciem procumbunt, vel, pro opportunitate, genua flectunt, et omnes in silentio aliquamdiu orant. Conventus ipse, si id aptum videtur, cum celebrantibus et ministris, in ecclesiam ingredi potest.

5. Deinde omnes surgunt et sacerdos, qui celebrationi præsidet, cum ministris vadit ad sedem ubi conversus ad populum, iunctis manibus, dicit unam e sequentibus orationibus, absque **Orémus**.

Oratio

Reminiscere miseratiónum tuárum, Dómine, □
et fámulos tuos æténa protectióne sanctífica,
pro quibus Christus, Fílius tuus,
per suum cruórem instítuit paschále mystérium.
Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

R. Amen.

Vel:

Deus, qui peccáti véteris hereditáriam mortem, □
in qua posteritátis genus omne succésserat,
Christi Fílii tui, Dómini nostri, passióne solvísti,
da, ut confórmes eídem facti,
sicut imáginem terréni hómínis
natúræ necessitáte portávimus,
ita imáginem cæléstis
grátiaë sanctificatióne portémus.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

PARS PRIMA

LITURGIA VERBI

6. Deinde, omnibus sedentibus, legitur prima lectio e libro Isaiaë prophetæ (52, 13 — 53, 12) cum suo psalmo.

7. Sequitur secunda lectio ex Epistola ad Hebræos (4, 14-16; 5, 7-9) et cantus ante Evangelium.

8. Deinde legitur historia Passionis Domini secundum Ioannem (18, 1 — 19, 42) eodem modo ac dominica præcedente.

9. Post lectionem Passionis Domini habeatur pro opportunitate brevis homilia.

Oratio universalis

10. Liturgia verbi concluditur oratione universali, quæ fit hoc modo: diaconus, stans ad ambonem vel alio loco apto, dicit invitatorium, quo intentio significatur. Dum proponuntur intentiones in choro omnes stant versis vultibus ad altare.

Deinde omnes per aliquod temporis spatium in silentio orant, et postea sacerdos, qui celebrationi præsidet, manibus extensis, dicit orationem. Per totum orationum tempus fratres profunde se inclinare, vel genua flectere, vel, versis ad altare vultibus, stare possunt. Fideles vel genuflexi vel stantes manere possunt.

11. Servari potest tradita invitatio diaconi **Flectámus gēna — Leváte**, cum genuflexione omnium ad orationem in silentio, vel fieri potest acclamatio populi ante orationem sacerdotis.

12. In gravi necessitate publica, Ordinarius loci permittere vel statuere potest, ut addatur specialis intentio.

13. E numero orationum, quæ in Missali præbentur, licet sacerdoti eas quæ magis aptæ sunt locorum conditioni seligere, ita tamen ut servetur series intentionum, quæ pro oratione universali proponitur (cf. IGMR, n. 46).

I. Pro sancta Ecclesia

Orémus, dilectíssimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, □
 ut eam Deus et Dóminus noster
 pacificáre, adunáre et custodíre dignétur
 toto orbe terrárum,
 detque nobis, quiétam et tranquíllam vitam degéntibus,
 glorificáre Deum Patrem omnipoténtem.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
 qui glóriam tuam ómnibus in Christo géntibus revelásti:
 custódi ópera misericórdiæ tuæ,
 ut Ecclesia tua, toto orbe diffúsa,
 stábili fide in confessióne tui nóminis perseveret.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

II. Pro Papa

Orémus et pro beatíssimo Papa nostro N.,
 ut Deus et Dóminus noster,
 qui elégit eum in órdine episcopátus,
 salvum atque incólumen custódiat Ecclésiæ suæ sanctæ,
 ad regéndum pópulum sanctum Dei. □

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
 cuius iudício univérsa fundántur,
 réspice propítius ad preces nostras,
 et eléctum nobis Antístitem tua pietáte consérva,
 ut christiána plebs, quæ te gubernátur auctóre,
 sub ipso Pontífice, fidei suæ méritis augeátur.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

III. Pro omnibus ordinibus gradibusque fidelium

De nomine Episcopi hic proferendo et de formula adhibenda:
 cf. IGMR, n. 109.

Orémus et pro Epíscopo nostro N.,
 pro ómnibus Epíscopis, presbýteris, diáconis Ecclésiæ
 et univérsa plebe fidélium. □

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
 cuius Spírítu totum corpus Ecclésiæ sanctificátur et régitur,
 exáudi nos pro minístris tuis supplicántes,
 ut, grátia tuæ múnere, ab ómnibus tibi fidéliter serviátur.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

IV. Pro catechumenis

Orémus et pro catechúmenis (nostris), □
ut Deus et Dóminus noster
adapériat aures præcordiórum ipsórum
ianuámque misericórdiæ,
ut, per lavácrum regeneratiónis
accépta remissióne ómnium peccatórum,
et ipsi inveniántur in Christo Iesu Dómino nostro.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui Ecclésiám tuam nova semper prole fecúndas,
auge fidem et intelléctum catechúmenis (nostris),
ut, renáti fonte baptísmatis,
adoptiÓnis tuæ fíliis aggregéntur.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

V. Pro unitate Christianorum

Orémus et pro univérsis frátribus in Christum credéntibus, □
ut Deus et Dóminus noster
eos, veritátem faciéntes,
in una Ecclésia sua congregáre et custodíre dignétur.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui dispérsa cóngregas et congregáta consérvas,
ad gregem Fílii tui placátus inténde,
ut, quos unum baptísma sacrávit,
eos et fídei iungat intégritas et vínculum sóciet caritátis.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

VI. Pro Iudæis

Orémus et pro Iudæis, □
ut, ad quos prius locútus est Dóminus Deus noster,
eis tríbuat in sui nóminis amóre
et in sui fœderis fidelitáte profícere.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui promissionés tuas Abrahæ eiúsque sémini contulísti,
Ecclésiæ tuæ preces cleménter exáudi,
ut pópulus acquisitionis prióris
ad redemptionis mereátur plenitúdinem perveníre.
Per Christum Dóminum nostrum.

℞. Amen.

VII. Pro iis qui in Christum non credunt

Orémus et pro iis qui in Christum non credunt, □
ut, luce Sancti Spíritus illustráti,
viam salútis et ipsi váleant introíre.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
fac ut qui Christum non confiténtur,
coram te sincéro corde ambulántes, invéniant veritátem,
nosque, mútuo proficiéntes semper amóre
et ad tuæ vitæ mystérium plénius percipiéndum sollicitos,
perfectióres éffice tuæ testes caritátis in mundo.
Per Christum Dóminum nostrum.

℞. Amen.

VIII. Pro iis qui in Deum non credunt

Orémus et pro iis qui Deum non agnóscunt, □
ut, quæ recta sunt sincéro corde sectántes,
ad ipsum Deum perveníre mereántur.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
qui cunctos hómines condidísti,
ut te semper desiderándo quærerent
et inveniéndó quiéscerent,
præsta quæsumus,
ut inter nóxia quæque obstácula
omnes, tuæ signa pietátis
et in te credéntium testimónium
bonórum óperum percipiéntes,
te solum verum Deum nostríque géneris Patrem
gáudeant confitéri.
Per Christum Dóminum nostrum.
R. Amen.

IX. Pro rempublicam moderantibus

Orémus et pro ómnibus rempúblicam moderántibus, □
ut Deus et Dóminus noster
mentes et corda eórum secúndum voluntátem suam dírigat
ad veram ómnium pacem et libertátem.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
in cuius manu sunt hóminum corda et iura populórum,
réspice benígnus ad eos, qui nos in potestáte moderántur,
ut ubique terrárum populórum prospéritas,
pacis securitas et religiónis libértas,
te largiénte, consístant.
Per Christum Dóminum nostrum.
R. Amen.

X. Pro tribulatis

Orémus, dilectíssimi nobis, Deum Patrem omnipoténtem, □
 ut cunctis mundum purget erróribus,
 morbos áuferat, famen depéllat,
 apériat cárceres, víncula solvat,
 viatóribus securitátem, peregrinántibus réditum,
 infirmántibus sanitátem atque moriéntibus salútem indúlgeat.

Oratio in silentio. Deinde sacerdos:

Omnípotens sempitérne Deus,
 mæstórum consolátio, laborántium fortitúdo,
 pervéniant ad te preces
 de quacúmque tribulatióne clamántium,
 ut omnes sibi in necessitatibus suis
 misericórdiam tuam gáudeant affuísse.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

PARS SECUNDA

ADORATIO SANCTÆ CRUCIS

Oratione universali expleta, fit sollemnis adoratio sanctæ Crucis iuxta duas formas a Missali Romano prævisas (nn. 14-20) vel iuxta ritum Ordinis, qui sequitur.

14. Dum orationes sollemnes dicuntur, duo sacerdotes se induunt albis et stolis rubri coloris, et duo diaconi similiter (vel duo alii sacerdotes more tamen presbyterali induti).

Ubi propter fratrum paucitatem tot sacerdotes et diaconi ad sequens officium haberi non possunt, sacerdos qui celebrationi præsidet et diaconus actionis liturgicæ ipsum officium exsequuntur cum aliis duobus fratribus ex choro, qui esse possunt etiam cantores.

In communitatibus monialium vel sororum duæ sorores designari possunt ad cantandum **Agios**.

15. Versus ad Improperia (**Pópule meus, Quia edúxi, Quid ultra**) cantari poterunt adiuvantibus cantoribus vel, pro necessitate, solummodo proclamari.

Genuflexiones prævísæ in cantando **Agios, Sanctus** cum melodia gregoriana, convenienter aptari possunt ad cantum lingua vernacula peractum, ad consuetudinem ac necessitates cœtus liturgici et ad usum regionis.

Ostensio sanctæ Crucis

16. Completis orationibus, sacerdos qui celebrationi præsidet, casula deposita, si placet, stat cum ministris ad sedem, vel alio loco apto.

17. Crux velata ad gradus altaris portatur. Tunc duo sacerdotes Crucem accipiant et tenentes eam in dextera parte altaris per brachia reverenter, versi ad conventum vel populum, cantant versum:

∇. **Pópule meus, quid feci tibi,
aut in quo contristávi te? Respónde mihi.
Quia edúxi te de terra Ægýpti,
parásti Crucem Salvatóri tuo.**

18. Versu finito, duo diaconi (vel alii ministri aut fratres), stantes ad gradum presbyterii vel alio loco apto, respondent, ter utrumque genu flectentes, scilicet quoties dicitur **Agios**, eoque dicto, toties illico surgentes:

**Agios o Theós, Agios ischyrós,
Agios athánatos, eléison imás.**

19. Deinde chorus et, si fieri potest, omnes adstantes simul cum choro, respondent, ter similiter genua flectendo, scilicet quoties dicitur **Sanctus**, eoque dicto, toties illico surgendo:

**Sanctus Deus, Sanctus fortis,
Sanctus et immortalis, miserére nobis.**

Sacerdotes qui Crucem tenent non flectunt genua. Sed neque prædicti diaconi (cf. n. 18) cum conventu, neque conventus cum ipsis genua flectit.

20. Postquam chorus sic responderit, sacerdotes paululum versus medium altaris procedunt et cantant secundum versum:

**ꝛ. Quia edúxi te per desértum quadragínta annis,
et manna cibávi te, et introdúxi in terram satis óptimam,
parásti Crucem Salvatóri tuo.**

Deinde diaconi iterum respondent Agios et chorus similiter Sanctus Deus, genua flectendo ut prius.

Tunc sacerdotes ad medium altaris procedunt et ibi cantant tertium versum:

**ꝛ. Quid ultra débui fácere tibi, et non feci?
Ego quidem plantávi te víneam meam speciosíssimam,
et tu facta es mihi nimis amára:
acéto namque mixto cum felle sitim meam potásti,
et láncea perforásti latus Salvatóri tuo.**

Deinde diaconi tertio respondent Agios et chorus similiter Sanctus Deus, genua flectendo ut prius.

Invitatio in ostendenda sancta Cruce

21. Quibus cantatis sacerdotes de altari descendunt et progrediuntur usque ad gradus presbyterii, ubi Crux adoranda est, vel, pro condicione loci, sistunt in aliquo gradu altaris. Tunc sacerdos qui celebrationi præsidet se collocat in gradu superiore medium inter duos sacerdotes, Crucem velatam de manu sacerdotum accipit, eamque iisdem adiuvantibus detegit.

Deinde sacerdos qui celebrationi præsidet, Crucem, ambabus manibus elevatam tenens, omnibus detectam ostendit, incipiendo antiphonam Ecce lignum, quam, cantore incipiente Crucis, omnes prosequuntur.

Antiphona

**Ecce lignum Crucis, in quo salus mundi pepéndit:
veníte, adorémus.**

Finita antiphona, omnes, tam in choro quam ad altare (præter celebrantem), genua flectunt, inclinantes se profunde, et parvo momento in silentio orant.

22. Postea Sacerdos qui celebrationi præsidet Crucem tradit prædictis sacerdotibus, qui eam deponunt ad gradus presbyterii, vel, pro condicione loci, ad gradus altaris vel alio loco apto, super tapetem mappa pulchra coopertum ad hoc ibidem stratum, et seipsos collocant hinc et inde accumbentes super latera, versis vultibus ad invicem, Crucem per brachia reverenter tenentes, et adorantibus ad osculum coaptantes. Ubi vero populus, huius dispositionis causa, adorationis ritum bene sequi non potest, duo sacerdotes stantes super gradus presbyterii, vel, pro condicione loci, in suppedaneo ante medium altaris, vel alio loco apto, Crucem ita per brachia tenent, ut pes Crucis super suppedaneum consistat.

Adoratio sanctæ Crucis

23. Tunc fit adoratio Crucis hoc modo: omnes, si commode fieri potest, prius calceamenta deponunt, et unus post alium, quasi processionaliter procedentes, ad Crucem accedunt. Toto corpore se prosternunt et semel tantum Crucem osculantur moram non facientes; vel, si duo sacerdotes stantes Crucem osculandam præbent, reverentiam debitam Cruci exhibent genua flectendo et Crucem osculando.

Si placet, fratres, antequam toto corpore se prosternant ad Crucem osculandam, bis genua flectere possunt secundum traditam consuetudinem.

24. Fit autem adoratio hoc ordine: primo adorat sacerdos qui celebrationi præsidet, qui, postquam Crucem osculatus est, Crucem ex parte dextera accipit, et tunc alter duorum sacerdotum eam adorat. Qui, adoratione facta, Crucem ex parte sinistra accipit, et tunc alter adorat. Qui, cum adoravit, Crucem de manu celebrantis accipit, et deinceps ipse et socius eam tenent ut prius. Post sacerdotes adorat diaconus actionis liturgicæ, deinde duo diaconi qui cantaverunt Agios (qui, postquam Crucem adoraverunt, in sacristiam vadunt et sacras vestes deponunt); postea alii ministri, demum ceteri fratres (unus post alium, vel bini et bini) a senioribus incipientes.

Sacerdos qui celebrationi præsidet et ministri, postquam adoraverunt, se calceant et sedentes auscultant quæ a choro cantantur.

25. Sancta Crux, adoratione ex parte ministrorum et conventus peracta, a duobus sacerdotibus defertur ad cancellos, et ibidem tali modo sustentatur ut fideles, ante Crucem quasi processionaliter transeunt, reverentiam Cruci exhibeant per simplicem genuflexionem vel aliud signum aptum secundum usum regionis, v.g. Crucem osculando.

26. Si prævideatur adorationem sanctæ Crucis ex parte populi, prout supra dicitur, ob ingentem populi concursum, vix aut non sine devotionis detrimento peragi posse, postquam sacerdos qui celebrationi præsidet, cum ministri et fratres atque pars fidelium adorationem expleverunt, adoratio abrumpitur et cæremonia peragitur ut dicitur infra, n. 29.

Cantus in adoratione sanctæ Crucis peragendi

27. Dum Crux adoratur, cantantur sequentes antiphonæ:

Antiphonæ

Antiphona 1

**Tuam Crucem adorámus, Dómine,
tuam gloriósam recólimus passiónem:
miserére nostri, qui passus es pro nobis.**

Antiphona 2

**Crucem tuam adorámus, Dómine,
et sanctam resurrectionem tuam
laudámus et glorificámus:
ecce enim propter Crucem venit
gáudium in univérso mundo.**

Antiphona 3

**Adorémus Crucis signáculum,
per quod salutis súmpsimus sacraméntum.**

Postea cantatur versus **Crux fidélis** cum hymno **Pange lingua**, versu **Crux fidélis** post singulos versus hymni repetito.

Si fieri potest, omnes adstantes simul cum choro versum **Crux fidélis** repetunt.

Cantus vero hymni producitur, prout adorantium numerus requirit; concluditur tamen semper cum doxologia **Glória et honor Deo**. Si autem antiphonæ et hymnus non sufficiant, repetuntur prout necesse fuerit.

Versus

Hymnus

**ꝛ. Crux fidélis, inter omnes arbor una nóbilis;
nulla silva talem profert fronde, flore, gérmine,
dulce lignum, dulces clavos, dulce pondus sústinet.**

Hymnus

1. **Pange, lingua, gloriósi próelium certáminis,
et super Crucis trophæum dic triúmphum nóbilem,
quáliter Redémptor orbis immolátus vícerit.**
Repetitur Crux fidélis.
2. **De paréntis protoplásti fraude factor cóndolens,
quando pomi noxiális morsu in mortem córruit,
ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut sólveret.**
Repetitur Crux fidélis.
3. **Hoc opus nostræ salútis ordo depopóscerat,
multifórmis proditóris ars ut artem fálleret,
et medélam ferret inde, hostis unde læserat.**
Repetitur Crux fidélis.
4. **Quando venit ergo sacri plenitúdo témporis,
missus est ab arce Patris Natus, orbis cónditor,
ac de ventre virgináli caro factus pródiit.**
Repetitur Crux fidélis.
5. **Vagit infans inter arcta cónditus præsépia,
membra pannis involúta Virgo Mater álligat,
et manus pedésque et crura, stricta cingit fáscia.**
Repetitur Crux fidélis.
6. **Lustris sex qui iam peráctis tempus implens córporis,
se volénte natus ad hoc, passióni déditus,
Agnus in Crucis levátur immolándus stípite.**
Repetitur Crux fidélis.

7. Hic acétum, fel, arúndo, spina, clavi, láncea,
mite corpus perforátur, sanguis unda prófluit,
terra, pontus, astra, mundus, quo lavántur flúmine!

Repetitur Crux fidélis.

8. Flecte ramos, arbor alta, tensa laxa víscera,
et rigor lentéscat ille, quem dedit natívitas,
ut supérni membra Regis miti tendas stípíte.

Repetitur Crux fidélis.

9. Sola digna tu fuísti ferre sæcli prétium
atque portum præparáre nauta mundo náufrago,
quem sacer cruor perúnxit, fusus Agni córpore.

Repetitur Crux fidélis.

10. Glória et honor Deo usquequáque altíssimo,
una Patri Filióque, ínclito Paráclito,
cui laus et potéstas per ætérna sácula.

28. Postquam omnes adoraverunt, duo sacerdotes Crucem tradunt sacerdoti qui celebrationi præsidet stanti super gradus presbyterii vel altaris, ut supra, qui Crucem elevatam tenens incipit antiphonam **Super ómnia**, quam, incipiente cantore **ligna cedrórum**, omnes prosequuntur.

Antiphona

**Super ómnia ligna cedrórum tu sola excélsior,
in qua vita mundi pepéndit,
in qua Christus triumphávit,
et mors mortem superávit in ætérnum.**

Finita antiphonà, omnes genuflectunt, inclinantes se profunde, et sacerdos qui celebrationi præsidet, tenens Crucem ut prius, ad libitum cantat orationem **Réspice**.

Oratio

**Réspice, quæsumus, Dómine, super hanc famíliam tuam,
pro qua Dóminus noster Iesus Christus
non dubitávit mánibus tradi nocéntium:
et Crucis subíre torméntum.**

Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

R. Amen.

29. Si autem adoratio, ut dictum est supra (n. 26), abrupta sit, finita antiphona **Super ómnia**, omnes genuflectunt et sacerdos qui celebrationi præsidet paucis verbis populum ad sanctæ Crucis adorationem invitatur, eamque altius elevatam tenens, per breve tempus fidelibus in silentio adorandam ostendit; postea dici potest orationem **Réspice**.

30. Oratione dicta, sacerdos qui celebrationi præsidet Crucem tradit duobus sacerdotibus, qui ipsam ad altare deferunt, omnibus stantibus, et collocant in medio, super suam basim et quidem, si altaris dispositio id permittat, adeo in altum, ut commode a fidelibus conspici possit, quin tamen in cæremoniis sequentibus, in altari peragendis, incommodum præbeat.

PARS TERTIA

SACRA COMMUNIO

31. Duo sacerdotes in sacristiam vadunt ibique vestes liturgicas deponunt, nisi munus presbyteri assistentis exercere debeant pro tertia parte huius celebrationis.

Sacerdos qui celebrationi præsidet iterum casulam sumit, si forte eam demiserit.

32. Super altare extenditur tobalea et ponitur corporale et liber. Deinde diaconus vel, eo deficiente, sacerdos reportat Ss.mum Sacramentum e loco repositionis brevi via ad altare, dum omnes genua flectunt in silentio orantes.

Duo ministri cum candelabris accensis comitantur Ss.mum Sacramentum et deponunt candelabra circa vel supra altare. Chorus et fideles stant versis vultibus ad altare.

33. Cum diaconus Ss.mum Sacramentum super altare posuerit et discooperuerit pyxidem, accedit sacerdos qui celebrationi præsidet et, facta genuflexione, ascendit altare. Ibi clara voce dicit, iunctis manibus:

**Præceptis salutáribus móniti, et divína institutióne formáti,
audémus dícere:**

Sacerdos, extensis manibus, et omnes præsentés prosequuntur:

**Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débíta nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.**

Manibus extensis, sacerdos solus prosequitur:

**Líbera nos, quæsumus, Dómine, ab ómnibus malis,
da propítius pacem in diébus nostris,
ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti,
et a peccáto simus semper líberi
et ab omni perturbatióne secúri:
exspectántes beátam spem
et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.**

Iungit manus. Populus orationem concludit, acclamans:

Quia tuum est regnum, et potéstas, et glória in sáecula.

34. Sacerdos deinde, iunctis manibus, dicit secreto:

**Percéptio Córporis tui, Dómine Iesu Christe,
non mihi provéniat in iudícium et condemnatiónem:
sed pro tua piétate prosit mihi**

**ad tutamentum mentis et corporis,
et ad medelam percipiendam.**

35. Deinde genuflectit, accipit particulam, eamque aliquantulum elevatam super pyxidem tenens, ad populum conversus, clara voce dicit:

**Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.
Beati qui ad cenam Agni vocati sunt.**

Et una cum populo semel subdit:

**Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum,
sed tantum dic verbo
et sanabitur anima mea.**

Et, conversus ad altare, reverenter sumit Corpus Christi.

36. Deinde procedit ad distribuendam communionem. Durante communionem fieri potest cantus aptus. Fratres procedunt more solito, debita reverentia Ss.mo Sacramento facta.

37. Distributione communionis peracta, pyxis per idoneum ministrum ad locum preparatum extra ecclesiam defertur, vel, si circumstantiae id postulent, in tabernaculum reponitur.

38. Deinde sacerdos, servata pro opportunitate aliquo spatio sacri silentii, dicit sequentem orationem:

Orémus.

**Omnípotens sempitérne Deus, □
qui nos Christi tui beata morte et resurrectione reparasti,
conserva in nobis opus misericordiae tuae,
ut huius mysterii participatione
perpetua devotione vivamus.
Per Christum Dóminum nostrum.**

R. Amen.

39. Ad dimissionem sacerdos qui celebrationi præsidet, stans versus ad populum, et super illum manus extendens, dum chorus et fideles iuxta consuetudinem nostram se gerunt, dicit sequentem orationem:

Oratio super populum

**Super pópulum tuum, quæsumus, Dómine,
qui mortem Fílii tui in spe suæ resurrectionis recóluit,
benedíctio copiósá descéndat,
indulgéntia véniat, consolátio tribuátur,
fides sancta succréscať, redémpťio sempitérna firmétur.
Per Christum Dóminum nostrum.**

R. Amen.

40. Facta deinde inclinatione profunda Crucis, sacerdos et ministri in sacristiam revertuntur sub silentio.

Altare tempore opportuno denudatúr, relicta tantum Cruce cum candelabris.

41. Fratribus vel sororibus infirmis, qui hanc celebrationem participare nequeunt, quacumque diei hora Communio deferri potest et, modo illis magis apto, opportunitas adorationis Crucis offerri potest.

42. Vesperæ ab iis qui sollemni actioni liturgicæ postmeridianæ interfuerunt non dicuntur. Completorium dicitur, ut in Liturgia Horarum, post sollemnem actionem liturgicam, hora opportuniore, duabus candelis accensis.

SABBATO SANCTO

Sabbato sancto Ecclesia ad sepulcrum Domini immoratur, passionem eius et mortem meditando, a sacrificio Missæ, sacra mensa denudata, abstinendo, usque dum, post sollemnem Vigiliam seu nocturnam resurrectionis exspectationem, locus detur gaudiis paschalis, quorum abundantia in quinquaginta dies exundat.

Sacra Communio hac die dari potest solummodo ad modum viatici.

TEMPUS PASCHALE

DOMINICA PASCHÆ IN RESURRECTIONE DOMINI

In nocte sancta

Vigilia paschalis

1. Ex antiquissima traditione ista nox est observabilis Domini (Ex 12, 42), ita ut fideles iuxta monitum Evangelii (Lc 12, 35 ss.) lucernas ardentes in manibus gestantes, similes sint hominibus expectantibus Dominum, quando revertatur, ut, cum venerit, vigilantes eos inveniat et discumbere faciat ad mensam suam.

Cum Ecclesia universali, communitates fratrum et sororum Ordinis, in cœtus liturgicos cum aliis fidelibus adunatæ, resurrectionem Domini vigilando expectant.

Hac in nocte, celebratio itineris salutis et sacramentorum initiationis christianæ, quæ summum in Eucharistia culmen attingit, efficit ut quæque communitas ad hanc paschalem renovationem universi in Spiritu Sancto participet. In ipsa enim fons est ac perfectio vitæ omnis apostolicæ: « Ecce nova facio omnia » (Ap 21, 5), dicit Dominus.

2. Vigilia huius noctis ita ordinatur, ut post breve lucernarium (quod est pars prima huius Vigiliæ) sancta Ecclesia meditetur mirabilia, quæ fecit Dominus Deus populo suo ab initio, confidens verbo eius et promisso (pars secunda seu liturgia verbi), usque dum, appropinquante die resurrectionis, cum novis membris in baptisate renatis (pars tertia), vocatur ad mensam, quam Dominus populo suo præparavit per mortem et resurrectionem suam (pars quarta).

3. Tota celebratio Vigiliæ paschalis peragitur nocte, ita ut vel non incipiatur ante initium noctis, vel finiatur ante diluculum diei dominicæ.

4. Missa noctis, etsi ante mediam noctem celebretur, est Missa paschalis dominicæ Resurrectionis.

Qui participat Missam noctis, iterum communicare potest in secunda Missa Paschatis.

5. Qui celebrat vel concelebrat Missam noctis, potest secundam Missam Paschatis celebrare aut concelebrare.

6. Prior vel celebrans principalis, concelebrantes et ministri se induunt, iam ex initio Vigilæ, paramentis liturgicis sicut ad Missam albi coloris, vel indumentis sericis.

Parentur candelæ pro omnibus participantibus ad Vigiliam. Luminaria ecclesiæ extinguuntur.

PARS PRIMA

SOLLEMNE INITIUM VIGILIÆ SEU LUCERNARIUM

Benedictio ignis et præparatio cerei

7. Hora competenti fratres alique fideles conveniunt in locum aptum, extra ecclesiam, ubi præparatus est rogos et benedictio novi ignis facienda est. Accedunt celebrans principalis cum concelebrantibus et ministris. Qui cantaturus est præconium paschale, vel alius ex ministris portat cereum paschalem.

Durante benedictione ignis et præparatione cerei, communitas et concelebrantes circa celebrantem principalem consistunt, ita tamen ut impedimento non sint in ritibus peragendis, et sacer ritus a fidelibus bene conspiciatur.

Ubi autem ignis extra ecclesiam accendi non potest, ritus peragitur ut infra, n. 13.

8. Post salutationem a celebrante principali de more factam, ipse vel diaconus vel unus e concelebrantibus populum breviter alloquitur, momentum celebrationis manifestando, his vel similibus verbis:

Fratres caríssimi, □
hac sacratíssima nocte, in qua Dóminus noster Iesus Christus
de morte transívit ad vitam,
Ecclésia invítat fílios dispérsos per orbem terrárum,
ut ad vigilándum et orándum convéniant.
Si ita memóriam egérimus Páschatis Dómini,
audiéntes verbum et celebrántes mystéria eius,
spem habébitus participándi triúmphum eius de morte
et vivéndi cum ipso in Deo.

9. Si rogos nondum accensus est, novus ignis nunc e silice producitur, nisi alius usus in his adiunctis melior esse videatur. Postea rogo accenso celebrans principalis ignem benedicit.

Orémus.

Deus, qui per Fílium tuum □
claritátis tuæ ignem fidélibus contulísti,
novum hunc ignem ✠ sanctífica,
et concéde nobis,
ita per hæc festa paschália cæléstibus desidériis inflammári,
ut ad perpétuæ claritátis
puris méntibus valeámus festa pertíngere.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.


De novo igne accenditur cereus paschalis.

10. Si, propter ingenium populi, opportunum videtur symbolis quibusdam extollere dignitatem et significationem cerei paschalis, fieri potest hoc modo:

Novo igne benedicto, acolythus seu unus ministrorum portat cereum paschalem ante celebrantem principalem, qui cum stilo incidit in ipsum cereum crucem. Deinde facit super eam litteram græcam Alpha, subtus vero litteram Omega, et inter bracchia crucis quattuor numeros exprimentes annum currentem, interim dicens:

1. **Christus heri et hódie** (incidit hastam erectam);
2. **Principium et Finis** (incidit hastam transversam);
3. **Alpha** (incidit supra hastam erectam litteram Alpha);
4. **et Omega** (incidit subtus hastam erectam litteram Omega).
5. **Ipsíus sunt témpora** (incidit primum numerum anni currentis in angulo sinistro superiore crucis);
6. **et sæcula** (incidit secundum numerum anni currentis in angulo dextro superiore crucis).

7. **Ipsi glória et impérium** (incidit tertium numerum anni currentis in angulo sinistro inferiore crucis);
8. **per univérſa æternitátis sæcula. Amen** (incidit quartum numerum anni currentis in angulo dextro inferiore crucis).



11. Incisione crucis et aliorum signorum peracta, celebrans principalis infigere potest in cereum quinque grana incensi, in modum crucis, interim dicens:

- | | |
|-----------------------------------|-------|
| 1. Per sua sancta vúlnera | |
| 2. glorióſa | 1 |
| 3. custódiat | 4 2 5 |
| 4. et consérvet nos | 3 |
| 5. Christus Dóminus. Amen. | |

12. De novo igne celebrans principalis accendit cereum paschalem, dicens:

**Lumen Christi glorióſe resurgéntis
díſſipet ténebras cordis et mentis.**

Elementa quæ præcedunt omnia vel aliqua tantum adhiberi possunt, pro rerum et locorum adiunctis pastoralibus. Conferentiæ autem Episcopales possunt etiam alias formas statuere, populorum ingenio magis accommodatas.

13. Ubi propter difficultates forte occurrentes non accenditur rogos, benedictio ignis circumstantiis aptatur. Populo ut alias in ecclesia congregato, celebrans principalis et concelebrantes cum ministris cereum paschalem deferentibus venit ad portam ecclesiæ. Populus, quantum fieri potest, vertit se ad sacerdotem.

Fit salutatio et monitio, ut supra n. 8, deinde benedicuntur ignis (n. 9) et, si placuerit, præparatur et accenditur cereus, ut supra nn. 10-12.

Processio

14. Postquam cereum illuminavit, thure in thuribulum misso, diaconus vel ipse qui præconium paschale cantaturus est, accipit cereum paschalem et, ipsum elevatum tenens, cantat:

Lumen Christi.

Omnes, si placet, genuflectentes vel se inclinantes versus cereum benedictum, respondent:

Deo grátias.

Conferentiæ Episcopales ditiorem acclamationem statuere possunt.

15. Deinde omnes ingrediuntur in ecclesiam, præcedente cereo paschali. Si adhibetur incensum, thuriferarius cum thuribulo fumigante pergit ante cereum benedictum.

Ad portam ecclesiæ, diaconus vel ipse qui præconium paschale cantaturus est, stans et elevans cereum, iterum cantat:

Lumen Christi.

Et omnes respondent:

Deo grátias.

et candelas suas accendunt de igne cerei paschalis et procedunt.

Diaconus autem vel ipse qui præconium paschale cantaturus est, cum venerit ante altare, stans versus ad populum, tertio cantat:

Lumen Christi.

Et omnes respondent:

Deo grátias.

Facta altari debita reverentia, omnes occupant sedes suas.

Accenduntur luminaria ecclesiæ, nisi accendantur posterius, ad finem præconii.

Præconium paschale

16. Cum ad altare pervenerint, concelebrantes et celebrans principalis vadunt ad sedes suas. Diaconus autem ponit cereum paschalem super candelabrum paratum in medio presbyterii vel iuxta ambonem vel in alio loco apto; deinde, imposito, si adhibetur, thure sicut ad Evangelium in Missa, petit et accipit benedictionem a celebrante principali dicente submissa voce:

Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis, ut digne et competénter annúnties suum paschále præcónium: in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

R. Amen.

Quæ benedictio omittitur, si præconium annuntiatur ab alio qui non sit diaconus.

17. Diaconus, vel, eo deficiente, unus e concelebrantibus, incensatis, pro opportunitate, libro et cereo, annuntiat præconium paschale in ambone vel pulpito, omnibus stantibus et candelas accensas in manibus tenentibus.

Præconium paschale annuntiari potest, pro necessitate, etiam a cantore qui non sit diaconus: qui tamen omittit verba **Quaprópter astántes vos** usque ad finem invitationis, necnon salutationem **Dóminus vobíscum**.

Præconium forma etiam breviora cantari potest. Conferentiæ insuper Episcopales ipsum præconium aptare possunt per aliquas populi acclamationes in ipsum inserendas.

Omnes stant, candelas accensas in manibus tenentes, conversi ad illum qui præconium proclamat.

18. Textus præconii paschalis, forma longiore vel forma brevi, invenitur in Missali Romano (nn. 18, 19, pp. 270-271). Ad cantandum hos textus adhiberi potest melodia Ordini propria ut in Appendice (p. 492).

PARS SECUNDA

LITURGIA VERBI

19. Finito præconio paschali, depositis candelis, omnes sedent. Incipit secunda pars huius Vigiliæ, matris omnium Vigiliarum, in qua sancta Ecclesia meditatúr mirabilia quæ fecit Dominus Deus populo suo ab initio, confidens verbo eius et promisso. Proponuntur novem lectiones, scilicet septem e Vetere Testamento et duæ e Novo (Epistola et Evangelium).

20. Si circumstantiæ pastorales id postulant, minui potest numerus lectionum e Vetere Testamento; semper tamen attendatur lectionem verbi Dei esse partem fundamentalem huius Vigiliæ paschalis. Leguntur saltem tres lectiones e Vetere Testamento desumptæ, et in casibus urgentioribus saltem duæ. Numquam autem omittatur lectio cap. 14 Exodi.

21. Depositis candelis, omnes sedent. Celebrans principalis liturgiam verbi brevi monitione introducit, nisi diacono vel uni ex celebrantibus hoc munus commiserit. Adhiberi potest vel monitio quæ sequitur vel alia similibus verbis expressa:

Vigiliam sollémniter ingrési, fratres caríssimi, □
quíeto corde nunc verbum Dei audiámus.
Meditémur, quómo do Deus pópulum suum
elápsis tempóribus salvum fécerit,
et novíssime nobis Fílium suum míserit Redemptórem.
Orémus, ut Deus noster hoc paschále salvatiónis opus
ad plenam redemptiόνem perfíciat.

22. Deinde sequuntur lectiones. Lector ad ambonem pergit et primam lectionem profert. Postea psalmista seu cantor psalmum dicit, populo responsum proferente.

Ad orationes quæ sequuntur lectiones, omnes surgunt et stant versus altare. Celebrans principalis dicit: **Orémus**, et, postquam omnes per aliquod tempus in silentio oraverint, dicit collectam.

Loco psalmi responsorii servari potest spatium sacri silentii, omissa hoc in casu pausa post **Orémus**.

Orationes post lectiones

23. Post primam lectionem (De creatione: Gen 1, 1 — 2, 2 vel 1, 1. 26-31 a)

Orémus. □
Omnípotens sempitérne Deus,
qui es in ómnium óperum tuórum dispensatióne mirábilis,
intéllegant redépti tui, non fuisse excelléntius,
quod iníitio factus est mundus,

quam quod in fine sæculórum
 Pascha nostrum immolátus est Christus.
 Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.
 R. Amen.

Vel (De creatione hominis):

Orémus.

Deus, qui mirabíliter creásti hóminem □
 et mirabílius redemísti,
 da nobis, quæsumus,
 contra oblectaménta peccáti mentis ratióne persístere,
 ut mereámur ad æténa gáudia perveníre.
 Per Christum Dóminum nostrum.
 R. Amen.

24. Post secundam lectionem (De sacrificio Abrahæ: Gen 22, 1-18; vel 1-2. 9 a. 10-13. 15-18)

Orémus.

Deus, Pater summe fidélium, □
 qui promissionis tuæ filios, diffúsa adoptiónis grátia,
 in toto terrárum orbe multíplicas,
 et per paschále sacraméntum
 Abraham púerum tuum
 universárum, sicut iurásti, géntium éfficis patrem,
 da pópulis tuis digne ad grátiam tuæ vocatiónis intráre.
 Per Christum Dóminum nostrum.
 R. Amen.

25. Post tertiam lectionem (De transitu Maris Rubri: Ex 14, 15 — 15, 1)

Orémus.

Deus, cuius antíqua mirácula □
 etiam nostris tempóribus coruscáre sentímus,
 dum, quod uni pópulo a persecutióne Pharaónis liberándo
 dexteræ tuæ poténtia contulísti,

id in salutem gentium per aquam regenerationis operaris,
præsta, ut in Abrahamæ filios et in Israeliticam dignitatem
totius mundi transeat plenitudo.

Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Vel:

Orémus.

Deus, qui primis temporibus □
impléta miracula novi testamenti luce reserasti,
ut et Mare Rubrum forma sacri fontis exsisteret,
et plebs a servitute liberata
christiani populi sacramenta præferret,
da, ut omnes gentes,
Israëlis privilegium merito fidei consecutæ,
Spíritus tui participatione regenerentur.
Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

26. Post quartam lectionem (De nova Ierusalem: Is 54, 5-14)

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, □
multiplica in honorem nominis tui
quod patrum fidei spondisti,
et promissionis filios sacra adoptione dilata,
ut, quod priores sancti non dubitaverunt futurum,
Ecclesia tua magna ex parte iam cognoscat implétum.
Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Vel alia ex orationibus, quæ sequuntur lectiones omissas.

27. Post quintam lectionem (De salute omnibus gratuito oblata:
Is 55, 1-11)

Orémus.

Omnípotens sempitérne Deus, □
 spes única mundi,
 qui prophetárum tuórum præcónio
 præsentium témporum declarásti mystéria,
 auge pópuli tui vota placátus,
 quia in nullo fidélium nisi ex tua inspiratióne provéniunt
 quarúmlibet increménta virtútum.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

28. Post sextam lectionem (De fonte sapientiæ: Bar 3, 9-15.
 32 — 4, 4)

Orémus.

Deus, qui Ecclésiám tuam □
 semper géntium vocatióne múltiplas,
 concéde propítius,
 ut, quos aqua baptísmatis ábluis,
 contínua protectióne tueáris.
 Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

29. Post septimam lectionem (De corde novo et spiritu novo:
 Ez 36, 16-28)

Orémus.

Deus, incommutábilis virtus et lumen ætérnum, □
 réspice propítius ad totíus Ecclésiæ sacraméntum,
 et opus salutis humanæ perpétuæ dispositiόνis efféctu
 tranquíllius operáre;
 totúsque mundus experiátur et vídeat
 deiécta érigi, inveteráta renovári
 et per ipsum Christum redíre ómnia in íntegrum
 a quo sumpsére princípium.
 Qui vivit et regnat in sæcula sæculórum.

R. Amen.

Vel:

Orémus.

Deus, qui nos ad celebrándum paschále sacraméntum □
utriúsq; Testaménti páginis ínstruis,
da nobis intellégere misericórdiam tuam,
ut ex perceptióne præsentium múnere
firma sit exspectátio futurórum.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

30. Post ultimam lectionem e Vetere Testamento cum suo responsorio et sua oratione, accenduntur cerei altaris; celebrans principalis incipit hymnum Glória in excélsis, quem chorus et fideles prosequantur, dum pulsantur campanæ, iuxta locorum consuetudines.

31. Expleto hymno, celebrans principalis dicit collectam, more solito.

Orémus.

Deus, qui hanc sacratíssimam noctem □
glória domínicæ resurrectiόνis illústras,
éxcita in Ecclesia tua adoptiόνis spíritum,
ut, córpore et mente renováti,
puram tibi exhibeámus servitútem.
Per Dóminum.

32. Deinde lector profert lectionem de Apostolo (Rom 6, 3-11).

33. Finita Epistola, omnibus surgentibus, celebrans principalis sollemniter intonat Allelúia, quod omnes repetunt.

Deinde psalmista vel cantor profert psalmum, populo respondente Allelúia. Si necesse est, psalmista ipse Allelúia intonat.

34. Ad Evangelium non portantur luminaria, sed tantum incensum, si adhibetur.

35. Statim post Evangelium fit homilia. Deinde proceditur ad liturgiam baptismalem.

PARS TERTIA
LITURGIA BAPTISMALIS

36. Tertia pars huius Vigiliæ fit dum, appropinquante die resurrectionis, ad ritum baptismi peragendum (cf. n. 40) vel ad renovandas promissiones nostri baptismatis invitamur.

37. Celebrans principalis admonet astantes his vel similibus verbis:
Si adsunt baptizandi

Précibus nostris, caríssimi, □
fratrum nostrórum beátam spem unánimes adiuvémus,
ut Pater omnípotens ad fontem regeneratiónis eúntes
omni misericórdiæ suæ auxílio prosequátur.

Si benedicendus est fons, sed non adsunt baptizandi
Dei Patris omnipoténtis grátiam,
caríssimi, super hunc fontem súpplíces invocémus,
ut qui ex eo renascéntur
adoptiόνis fíliis in Christo aggregéntur.

38. Etsi baptizandi non adsunt, neque fons baptismalis benedicendus est, cantari possunt litaníæ Sanctorum, brevi monitione præmissa, ante benedictionem aquæ et renovationem promissionum baptismalium.

39. Canuntur litaníæ a duobus cantoribus, omnibus stantibus (propter Tempus paschale), versis vultibus ad altare et respondentibus.

In litiániis addi possunt aliqua nomina Sanctorum, præsertim Ordinis vel Titularis ecclesiæ vel Patronorum loci (et eorum qui sunt baptizandi).

Kýrie, eléison

Kýrie, eléison

Christe, eléison

Christe, eléison

Kýrie, eléison

Kýrie, eléison

Sancta María, Mater Dei

ora pro nobis

Sancte Míchael

ora pro nobis

Sancti Angeli Dei

oráte pro nobis

Sancte Ioáñnes Baptísta	ora pro nobis
Sancte Ioseph	ora pro nobis
Sancti Petre et Paule	oráte pro nobis
Sancte Andréa	ora pro nobis
Sancte Ioáñnes	ora pro nobis
Sancta María Magdaléna	ora pro nobis
Sancte Stéphane	ora pro nobis
Sancte Ignáti Antiochéne	ora pro nobis
Sancte Lauréti	ora pro nobis
Sanctæ Perpétua et Felícitas	oráte pro nobis
Sancta Agnes	ora pro nobis
Sancte Gregóri	ora pro nobis
Sancte Augustíne	ora pro nobis
Sancte Athanási	ora pro nobis
Sancte Basíli	ora pro nobis
Sancte Martíne	ora pro nobis
Sancte Benedícte	ora pro nobis
Sancte Francísce	ora pro nobis
Sancte Pater Domínice	ora pro nobis
Sancte Albérte	ora pro nobis
Sancte Thoma (de Aquino)	ora pro nobis
Sancte Martíne (de Porres)	ora pro nobis
Sancte Francísce Xavier	ora pro nobis
Sancte Ioáñnes María Vianney	ora pro nobis
Sancta Margaríta (de Hungaria)	ora pro nobis
Sancta Catharína Senénsis	ora pro nobis
Sancta Terésia de Avila	ora pro nobis
Sancta Rosa (de Lima)	ora pro nobis
Omnes Sancti et Sanctæ Dei	oráte pro nobis
Propítius esto	líbera nos, Dómine
Ab omni malo	líbera nos, Dómine
Ab omni peccáto	líbera nos, Dómine
A morte perpétua	líbera nos, Dómine
Per incarnatióem tuam	líbera nos, Dómine

Per mortem et resurrectionem tuam	libera nos, Dómine
Per effusionem Spíritus Sancti	libera nos, Dómine
Peccatóres	te rogámus, audi nos
Ut óculos misericórdiæ tuæ super nos reducere dignéris	te rogámus, audi nos
Ut obséquium servitútis nostræ rationábile fácias	te rogámus, audi nos
Ut reguláribus disciplínis nos instrúere dignéris	te rogámus, audi nos
Ut mentes nostras ad cælestia desidéria érigas	te rogámus, audi nos
Si adsunt baptizandi	
Ut hos eléctos per grátiam Baptísmi regeneráre dignéris	te rogámus, audi nos
Si non adsunt baptizandi	
Ut hunc fontem, regenerándis tibi fíliis, grátia tua sanctificáre dignéris	te rogámus, audi nos
Iesu, Fili Dei vivi	te rogámus, audi nos
Christe, audi nos. ij.	
Christe, exáudi nos. ij.	

Si adsunt baptizandi, celebrans principalis, iunctis manibus, dicit sequentem orationem:

Omnípotens sempitérne Deus, □
adésto magnæ pietátis tuæ sacraméntis,
et ad recreándos novos pópulos,
quos tibi fons baptísmatis párturit,
spíritum adoptiónis emítte,
ut, quod nostræ humilitátis geréndum est ministério,
virtútis tuæ impleátur efféctu.
Per Christum Dóminum nostrum.

R. Amen.

40. Si benedictio aquæ baptismalis vel ritus baptismi necnon et confirmationis peraguntur, omnia e Missali Romano (nn. 37-44, pp. 281-284) sumuntur.

Si tamen liturgia baptismalis peragitur in baptisterio, et habenda sit longa processio, ante processionem vocantur catechumeni, qui præsentantur. Deinde ordinatur processio, in qua præcedit minister cum cereo paschali, eumque sequuntur catechumeni cum patrinis, fratres, deinde concelebrantes et celebrans principalis cum suo diacono, populo, si placet, comitante. Durante processione canuntur litanias. **Monitio Précibus nostris** (n. 37), hoc in casu, fit post litanias, immediate ante benedictionem aquæ.

Omnibus expletis redeunt omnes ad chorum et presbyterium habita processione ut antea. Durante processione canitur canticum baptismale, v.g. **Qui baptizáti estis**, vel Ps 117.

Benedictio aquæ

41. Si vero non adsunt baptizandi, neque fons baptismalis benedicendus est, celebrans principalis aquam benedicit oratione sequenti:

Dominum Deum nostrum, □
fratres caríssimi, suppliciter exorémus,
ut hanc creatúram aquæ benedícere dignétur,
super nos aspergendam in nostri memóriam baptismi.
Ipse autem nos renováre dignétur,
ut fidéles Spirítui, quem accévimus, maneámus.

Et post brevem pausam orationis in silentio proseguitur, iunctis manibus:

Dómine Deus noster,
pópulo tuo hac nocte sacratíssima vigilánti
adésto propítius;
et nobis, mirábile nostræ creatiόνis opus,
sed et redemptiόνis nostræ mirabílius, memorántibus,
hanc aquam benedícere tu dignáre.
Ipsam enim tu fecísti,
ut et arva fecunditáte donáret,
et levámen corpóribus nostris munditiámque præbéret.

Aquam étiam tuæ minístram misericórdiæ condidísti:
nam per ipsam solvísti tui pópuli servitútem
illiúsque sitim in desérto sedásti;
per ipsam novum fœdus nuntiavérunt prophétæ,
quod eras cum homínibus initúrus;
per ipsam dénique, quam Christus in Iordáne sacrávit,
corrúptam natúræ nostræ substántiam
in regeneratiónis lavácro renovásti.
Sit ígitur hæc aqua nobis suscépti baptísmatis memória,
et cum frátribus nostris, qui sunt in Páschate baptizáti,
gáudia nos tríbuas sociáre.
Per Christum Dóminum nostrum.
R. Amen.

Renovatio promissionum baptismalium

42. Ritu baptismi (et confirmationis) expleto, vel si hic non habuit locum, post benedictionem aquæ, omnes, versis vultibus ad celebrantem principalem, stant et, candelas accensas in manibus gestantes, promissionem fidei baptismalis renovant.

Celebrans principalis his vel similibus verbis fideles alloquitur:

Per paschále mystérium, fratres caríssimi, □
in baptísimo consepúlti sumus cum Christo,
ut cum eo in novitáte vitæ ambulémus.
Quaprópter, quadragesimáli observatióne absolúta,
sancti baptísmatis promissiones renovémus,
quibus olim Sátanæ et opéribus eius abrenuntiávimus,
et Deo in sancta Ecclésia cathólica servíre promísimus.

Quaprópter:

Sacerdos: Abrenuntiátis Sátanæ?

Omnes: Abrenúntio.

Sacerdos: Et ómnibus opéribus eius?

Omnes: Abrenúntio.

Sacerdos: Et ómnibus pompis eius?

Omnes: Abrenúntio.

Vel:

Sacerdos: Abrenuntiátis peccáto, ut in libertáte filiórum Dei vivátis?

Omnes: Abrenúntio.

Sacerdos: Abrenuntiátis seductiónibus iniquitátis, ne peccátum vobis dominétur?

Omnes: Abrenúntio.

Sacerdos: Abrenuntiátis Sátanæ, qui est auctor et princeps peccáti?

Omnes: Abrenúntio.

Si casus fert, hæc altera formula aptari potest a Conferentiis Episcopalibus, iuxta locorum opportunitates.

Deinde sacerdos prosequitur:

Sacerdos: Créditis in Deum Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ?

Omnes: Credo.

Sacerdos: Créditis in Iesum Christum, Fílium eius únicum, Dóminum nostrum, natum ex María Vírgine, passum et sepúltum, qui a mórtuis resurréxit et sedet ad dexteram Patris?

Omnes: Credo.

Sacerdos: Créditis in Spíritum Sanctum, sanctam Ecclésiám cathólicam, sanctórum communiónem, remissionem peccatórum, carnis resurrectionem et vitam ætérnam?

Omnes: Credo.

Et sacerdos concludit:

Et Deus omnípotens, Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui nos regenerávit ex aqua et Spíritu Sancto, quique nobis dedit remissionem peccatórum,

ipse nos custódiat grátia sua,
in Christo Iesu Dómino nostro,
in vitam ætérnam.

Omnes: Amen.

43. Renovazione promissionum baptismalium completa, celebrans principalis aspergit concelebrantes, fratres et populum aqua benedicta, adiuvantibus, si casus fert, presbyteris, pro opportunitate incedens per aulam ecclesiæ, omnibus canentibus.

Ant. Vidi aquam egrediéntem de templo, a látere dextro, allelúia; et omnes, ad quos pervénit aqua ista, salvi facti sunt et dicent: allelúia, allelúia,

vel alium cantum indolem baptismalem habentem.

44. [Interim neophyti deducuntur ad locum suum inter fideles. Si benedictio aquæ baptismalis facta non est in baptisterio, ministri reverenter portant vas aquæ ad fontem].

Si benedictio fontis locum non habuit, aqua benedicta reponitur loco convenienti.

45. Aspersione facta, celebrans principalis redit ad sedem, ubi, omisso symbolo, moderatur orationem universalem (quam neophyti primo participant).

PARS QUARTA

LITURGIA EUCHARISTICA

46. Deinde incipit quarta pars Vigiliæ paschalis qua fideles vocantur ad mensam quam Dominus populo suo paravit per mortem et resurrectionem suam.

Celebrans principalis accedit ad altare et more solito incipit liturgiam eucharisticam.

Præstat, ut panis et vinum afferantur a neophytis, si adsunt.

47. Super oblata

Súscipe, quæsumus, Dómine, preces pópuli tui
cum oblatiónibus hostiárum, □
ut, paschálibus initiáta mystériis,
ad æternitátis nobis medélam, te operánte, proficiant.
Per Christum.

48. Præfatio: De mysterio paschali.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírítu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátias agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre, □
 Te quidem, Dómine, omni témpore confitéri,
 sed in hac potíssimum nocte gloriósius prædicáre,
 cum Pascha nostrum immolátus est Christus.

Ipse enim verus est Agnus
 qui ábstulit peccáta mundi.

Qui mortem nostram moriéndo destrúxit,
 et vitam resurgéndo reparávit.

Quaprópter, profúsis paschálibus gáudiis,
 totus in orbe terrárum mundus exsúltat.

Sed et supérnæ virtútes atque angélicæ potestátes
 hymnum glóriæ tuæ cóncinunt, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Quando adhibetur Canon Romanus, dicuntur **Communicántes** et **Hanc** ígitur propria, infra (nn. 45, 49, pp. 96, 97).

In Missa Vigiliæ paschalis dicitur: **et noctem sacratíssimam celebrántes.**

49. Ant. ad communionem

1 Cor 5, 7-8

Pascha nostrum immolátus est Christus;
ítaque epulémur in ázymis sinceritátis et veritátis, allelúia.

50. Post communionem

Spírítum nobis, Dómine, tuæ caritátis infúnde, □
 ut, quos sacraméntis paschálibus satiásti,
 tua fácias pietáte concórdes.

Per Christum.

51. Ad benedictionem in fine Missæ impertiendam, celebrans principalis convenienter utatur formula sequente:

Benedictio sollemnis

Benedícat vos omnípotens Deus,
hodiérna interveniénte sollemnitate pascháli,
et ab omni miserátus deféndat incursióne peccáti.

R. Amen.

Et qui ad ætérrnam vitam
in Unigéniti sui resurrectione vos réparat,
vos præmiis immortalitátis adímpleat.

R. Amen.

Et qui, explétis passiónis domínicae diébus,
paschális festi gáudia celebrátis,
ad ea festa, quæ lætítiis peragúntur ætérrnis,
ipso opitulánte, exsultántibus ánimis veniátis.

R. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ☩ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

R. Amen.

vel, si Baptismi celebrati sunt, formula benedictionis finalis Ritus baptismi adultorum vel parvulorum.

52. In dimissione, diaconus vel unus ex concelebrantibus vel celebrans principalis dicit:

Ite, missa est, allelúia, allelúia.

R. Deo grátias, allelúia, allelúia.

53. Vigiliæ paschalis celebratio locum tenet Officii lectionis dominicæ Resurrectionis. Conventus et fratres qui Vigiliæ paschali interfuerunt Officium huius diei a Laudibus incipiunt (cf. Liturgia Horarum II, p. 401).

IN ASCENSIONE DOMINI

Sollemnitas

1. Hac die ad mysterium evangelicum exaltationis Christi ad dexteram Patris (cf. Mc 16, 19; Lc 24, 50-53; Act 1, 6-11) sollemniter recolendum, iuxta consuetudines nostras processio vel ingressus sollemnis ante Missam fieri potest.

AD PROCESSIONEM

2. Ea ratio servetur quæ pro aliis processionibus vel ingressibus sollemnibus per annum liturgicum (in Præsentatione Domini et in Dominica in Palmis de Passione Domini) indicatur. Iuxta consuetudines loci, ad processionem peculiaria elementa apta adhiberi possunt.

3. Initio celebrationis cantatur antiphona vel responsorium vel alius cantus congruus.

Antiphona

Ps 8, 2

Eleváta est magnificéntia tua
super cælos, Deus, allelúia.

Vel:

Responsoria

Cf. Ps 18, 7

R. Omnis pulchritúdo Dómini exaltáta est super sídera: spécies eius in núbibus cæli, * Et nomen eius in ætérnum permanet, allelúia.

V. A summo cælo egréssio eius, et occúrsus eius usque ad summum eius. * Et nomen.

Vel: Cf. Act 1, 11.10

R. Viri Galilæi, quid admirámini aspiciéntes in cælum? allelúia. * Quemádmódum vidístis eum ascendéntem in cælum, ita véniet, allelúia, allelúia, allelúia.

V. Cumque intueréntur in cælum eúntem illum, ecce duo viri adstítérunt iuxta illos in véstibus albis, qui et dixerunt. * Quemádmódum.

4. Post salutationem a celebrante principali de more factam, ipse vel diaconus vel unus de concelebrantibus brevem monitionem facit. Hæc vel similia verba adhiberi poterunt:

**Iesus Christus humilitátem terrárum
cælórum dignitáte commútat.**

**Hódie Salvátor noster post assumptiónem carnis
sedem répetit Deitátis.**

**Hódie redit ad Patrem,
cum tamen sine Patris, qua illi æquális est,
potestáte non vénerit.**

**Audiet profécto in confessióne
quos in perditióne quæsívit.**

**Non patiétur órphanos esse devótos,
qui filios dignátus est fácere inimícos.**

5. Postea unus ex locis biblicis ad Ascensionem relatis legi poterit. Hæc lectio biblica iuxta opportunitatem fiat statim post cantum initialem (cf. n. 3).

6. Post lectionem haberi potest brevis homilia.

Ad inchoandam processionem diaconus vel unus ex concelebrantibus vel celebrans ipse principalis his vel similibus verbis uti potest:

**Membra córporis Christi
cum gáudio procedámus
eius advéntum exspectántes.**

7. Processio graditur ad ecclesiam iuxta morem consuetum et stationes, si quæ sint, fieri possunt iuxta condiciones locorum, significatione huius gestus attendita.

8. In processione cantantur antiphonæ cum psalmis vel responsorium quæ seligi possunt ex sequentibus, vel alii apti cantus.

Antiphonæ

Elevátis má nibus benedíxit eis, Cf. Lc 24, 50. 51
et ferebátur in cælum, allelúia.

Dóminus in templo sancto suo, Cf. Ps 10, 4
Dóminus in cælo, allelúia.

A summo cælo egréssio eius, Cf. Ps 18, 7
et occúrsus eius usque ad summum eius, allelúia.

cum psalmis 8, 46, 67, 23.

Responsorium Cf. Io 14, 27. 28; 16, 7. 22

℞. Non conturbétur cor vestrum, ego vado ad Patrem: et dum assúptus fúero a vobis, mittam vobis, allelúia, Spíritum veritátis. * Et gaudébit cor vestrum, allelúia.

℣. Ego rogábo Patrem et álium Paráclitum dabit vobis. * Et gaudébit.

Appropinquante processione ad ecclesiam, cantetur:

Antiphona Cf. Ps 23, 7-10; Io 14, 18; Lc 24, 49

O rex glóriæ, Dómine virtútum, qui triumphátor hódie super omnes cælos ascendísti: ne derelínquas nos órphanos, sed mitte promíssum Patris in nos Spíritum veritátis, allelúia.

9. Processio vel ingressus sollemnis more solito concluditur; omissis signo crucis et actu pænitentiali, continuo cantatur **Glória in excélsis**, et Missa prosequitur modo consueto.

AD MISSAM

Ant. ad introitum

Act 1, 11

Viri Galilæi, quid admirámini aspiciéntes in cælum?
 Quemádmódum vidísti eum ascendéntem in cælum,
 ita véniet, allelúia.

Dicitur Glória in excélsis.

Collecta

Fac nos, omnípotens Deus, sanctis exsultáre gáudiis, □
 et pia gratiárum actióne lætári,
 quia Christi Fílii tui ascénsio est nostra provéctio,
 et quo procéssit glória cápitis,
 eo spes vocátur et córporis.
 Per Dóminum.

Lectiones inveniuntur in Lectionario Romano.

Dicitur Credo.

Super oblata

Sacrificium, Dómine, pro Fílii tui súpplīces □
 venerábili nunc ascensióne deférimus:
 præsta, quæsumus, ut his commérciis sacrosántis
 ad cæléstia consurgámus.
 Per Christum.

Præfatio: De mysterio Ascensionis.

V. Dóminus vobíscum.

R. Et cum spírītu tuo.

V. Sursum corda.

R. Habémus ad Dóminum.

V. Grátia agámus Dómino Deo nostro.

R. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutäre,
 nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
 Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

□

Quia Dóminus Iesus, Rex glóriæ,
 peccáti triumphátor et mortis,
 mirántibus Angelis, ascéndit hódie summa cælórum,
 Médiator Dei et hóminum,
 Iudex mundi Dominúsque virtútum;
 non ut a nostra humilitáte discéderet,
 sed ut illuc confiderémus, sua membra, nos súbsequi
 quo ipse, caput nostrum principiúmque, præcésit.

Quaprópter, profúsis paschálibus gáudiis,
 totus in orbe terrárum mundus exsúltat.
 Sed et supérnæ virtútes atque angélicæ potestátes
 hymnum glóriæ tuæ cóncinunt, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sañctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth ...

Vel præfatio II (MR, n. 47, p. 411). Quando adhibetur Canon Romanus, dicitur Communicántes proprium, infra (n. 46, p. 96).

Ant. ad communionem

Mt 28, 20

Ecce ego vobíscum sum ómnibus diébus
 usque ad consummationem sæculi, allelúia.

Post communionem

Omnípotens sempitérne Deus,
 qui in terra constitútos divína tractáre concédís,
 præsta, quæsumus,
 ut illuc tendat cristiánæ devotiónis afféctus,
 quo tecum est nostra substántia.
 Per Christum.

□

Benedictio sollemnis

Benedícat vos omnípotens Deus,
cuius Unigénitus hodiérna die cælórum alta penetrávit,
et vobis, ubi est ipse, ascendéndi áditum reserávit.

R. Amen.

Concédat ut, sicut Christus post resurrectionem suam
visus est discipulis maniféstus,
ita vobis in iudícium véniens appáreat pro æternitáte placátus.

R. Amen.

Et qui eum consedére Patri in sua créditos maiestáte,
ipsum usque in finem sáculi vobíscum permanére
secúndum eius promissionem læti valeátis experíre.

R. Amen.

Et benedíctio Dei omnipoténtis,
Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti,
descéndat super vos et máneat semper.

R. Amen.

Ubi sollemnitas Ascensionis non est de præcepto servanda, assignantur eius Officium et Missa, tamquam diei proprio, dominicæ VII Paschæ.